



49

DISPUTATIO
Politico-Juridica

18 639
1643

De
PRÆMIIS ET
POENIS QUÆDAM EXHI-
BENS AXIOSCEPTA,

Quæ

DEO Ter Opt: Max: auxiliante

Ex permissu Nobiliss: & Ampliss: Facultatis Juri-

dica, in celeberrimâ Academiâ Wittebergensi,

SUB PATROCINIO

Viri Magnifici, Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi;

DN. JEREMIÆ REUSNERI,

Jcti, & Antecessoris celeberrimi, Facultatis Juri-

dicae Ordinarii, & Senioris meritissimi, Dicasterii & Sca-

binatus Assessoris gravissimi,

Dn. Patroni, Promotoris, & Præceptoris sui, omni

honoris cultu jugiter prosequendi,

publicè discutienda offertur

JOACHIMO Dechern / Palæo-Bran-
deburg. Marchico.

In Auditorio Jctorum, ad diem Maij, horis consuetis,

Anno Christi, quo dicere fas est;

Pax sperata qVIDEM est : at VblVIs beLLa strVVntVr.

1643

WITTEBERGÆ

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.



ACADEMIÆ WITEBERGENSIS CELEBERRIMÆ
MAGNIFICO DOMINO RECTORI,

nec non

Viris Nobilibus, Excellentissimis, Amplissimis, Consultissimis, juxta
ac Clarissimis, Dominis Professoribus Juridicæ & Philosophicæ Facul-
tatis, Promotoribus, Præceptoribus, & Fautoribus suis apprime ve-
nerandis, & ætatem honorandis.

ut &

*Plurimum Reverendis, Magnificis, maximè strenuis, Excellen-
tissimis, Nobilissimis,*

DN. JODOCO Schulten / Cathedralis Ecclesiæ Bremensis Deca-
no, ac cœnobii Ellenthalß & regionum Nadeln vnd Wursten
præposito.

DN. THEODORO REINKING Jcto, Comiti Palatino Cæsareo,
Archiepiscopi Bremensis Cancellario, & Landgravii Hassiæ Con-
siliario gravissimo.

DN. ANTONIO à WITERSHEIM Illustrissimi Celsissimiq; Du-
cis Holsatiæ, Slesvigæ, Stormariæ, Dithmarsicæ &c. Cancellario, &
Consiliario intimo, in Werbyg &c. Hereditar.

DN. ROBERTO HAKEN Jcto, Bremæ ad D. Stephani Decano, &
Illustrissimi ac Generosissimi Comitis in Delmenhorst & Oldenburg &c.
Cancellario, Adfiri suo omni honoris & amoris cultu ju-
giter prosequendo.

DN. CLEMENTI à CULA, Abbati Stadeni, & cœnobii Sevenensis
præposito, Hereditar. in Kula &c.

DN. EVERHARDO Groten Lüneburgensis cœnobii ad D. Michac-
lis Priori in Sackensfelde / Bressen / Stillhorn &c. Hereditar.

DN. GEORGIO CHRISTOPHORO à Görden / Canonico Bran-
denburgensi, in Plauw &c. Hereditar.

DN. JOHANN-OTTONI von der Deken / zu neuen Haus & Hammelwörd
&c. Hæreditar. quondam satrapæ laudatissimo.

Insimul Viris

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis, Integerrimis,

DNN. CONSULIBUS, SCHOLARCHIS, SENATORIBUS,
& Octo-viris Reipubl. Stadana, Dominis Patronis, ac Favioribus
suis multum colendis.

Magnifice Domine Rector, nec non ceteri Viri plurimum
 Reverendi, Magnifici, Nobilissimi, Excellentissimi, Amplissimi,
 Clarissimi, Consultissimi, prudentissimi, atq; integerrimi; Domini Deca-
 ni, Cancellarij, Professores, Abbas, Prior, Canonice, Consules, Senato-
 res, & cives octoviri; mei Dn. Patroni, Mæcenates, respectivè Præceptores,
 Promotores, & Fautores plurimum suspiciendi. Frontispiciū, & primū
 hujus disputationis membrum est de præmiis. Quod si hic ansam
 sumere liceret, ut de neglectis quorundam studiorum præmiis ul-
 trò citroq; sermocinari me indulgerem, proh! quam ampla sese
 oblatura esset querelarum seges. Sed nolo multus esse, in proferen-
 dis querelis à Viris doctis in Germanià hoc nomine passim habitis.
 In propatulo est, quod minus dextrè distribuuntur præmia, tam in
 honore & dignitate, quam in pecunià & utilitate consistentia: Illa
 quidem, dum Strumæ, qui omne satagunt ferre punctum, si trala-
 titiè & dicis causa Thespias salutarunt, & tertiata verba latina frin-
 gultire nōrunt, sella potiuntur curuli; & dignitatum honorumque
 adeptiones dum multis obveniūt perperam; de quo præstat tacere,
 quam multa proloqui. Hæc verò, dum Murcia Candidatis confe-
 runtur beneficia sine curâ; quæ conferri debebant Viris, qui virtu-
 te & eruditione possent inservire bono publico. Taceo quod il-
 literati Dionysij, & sæpè homines athei, qui escarias residentes fe-
 rias, de Ecclesiæ aut Reipubl. salute parùm laborant, sæpè opimos
 intercipient proventus; de quibus aliquid unctiusculi capere debe-
 bant politioris literaturæ Doctores. Idq; nullâ aliâ de causâ, quam
 quod aulicus eos juvet favor. Interim scientiæ, quæ suum cul-
 torem non adeò beare possunt questuosâ praxi, aut honorifico af-
 ficiunt præmio, prostant illocabiles. Equidem non facile sunt, qui
 gratis vellent esse probi: multò minus, qui gratis satagerent eas
 discere, & docere artes, quibus præmium in utilitate consistens de-
 negatum est omne. Præsertim hoc tempore, quo multorum in-
 genia, ut habet *Zieritzius*,* reperiuntur tam venalia, ut omnes suas
 scientias ex quæstu æstiment, adeoq; ex testimonio *Clapmarii** mul-
 ti nummos potius, quam virtutem colere videantur. Atqui hinc
 illæ lacrymæ! ut quidam stultitiæ sibi ducant, aliquid sedulitatis &
 operæ posuisse in iis scientiis, quæ non faciunt ad panem lucran-
 dum. Tales autem hodiè pleræq; sunt philosophicæ scientiæ, de
 quibus

† Licent. Gerh.
 Gravius in præ-
 fatione præfixâ
 explicati: Ps. 68
 v. 18, & 19.

* Bernh. Zier,
 Brandeb. &
 patriz Cofs. e-
 meritiss. de
 prærog. princ.
 pag. 3.
 * Arn. Clapm.
 in nobil. stud.
 trien: p. m. 22.

† Scalig. exer.
307. lect. 3. cir-
ca fin:

* Dan. Otto de
jure publ. c. 19.
§. philosophi
ultimi.

† Clapmar. in
nob. stud.
trienn. pag.
mih. 25.

† Arn. Rath A-
cad: Ingelst:
P. P. in orat. fu-
nebr. in obit.
incomparabi-
lis Jcti Christ.
Besol.

quibus Scaliger † dicit, quod earum subtilitatum indagatio exuat
quidem animum inscitiae rubigine, sed parum utilis sit ad machi-
nas farinarias conficiendas. Inde adeo fit, ut non desint, qui Nobi-
lioribus ingeniis, & juris mystis cum primis, teste *Daniele Ottone*, *
irrisui potius, quam laudi dare consueverunt, si forsan fervidiori
cura studia philologica, & praeter Latinam etiam aliam cardina-
lem didicerint linguam. *Ipsemet memini*, inquit *Conradus Dinne-
rus Jctus, & graecorum epithetorum collector in praefatione, mei ordinis
homines audire, quos navata in melioribus studiis & artibus opera, si
qua unquam fuisset, serio poeniteret.* Quin imo ineptè praesumunt,
talem, qui haud obiter in studiis philosophicis aut philologicis ver-
satus est, vix ita, ut decet, fundamenta superioris alicujus Faculta-
tis jecisse. Quorum ineptiae vix tolerandae videntur, & dignae, quae
aceto perfundantur egregie. Equidem hi opinatores ita se dant in-
scitè, quasi hominem *Φιλόπρονον* & *Φυγόπρονον* juxta aestimare velint:
quasi Caji, Sempronii & Stichi ingenium unam metiri liceat pertica:
aut quasi non contingat, ut hic vel ille in melius seculum & feli-
ciores incidat praepceptores. vel num sibi habebunt persuasum, so-
lam jurisprudentiam inter caeteras scientiarum Reginas esse istam
dominam, quae absque philosophicarum disciplinarum lingua-
rumq; pedisequis in hujus mundi proscenium satis ornatè procé-
dere possit? longè aliter hac de re disserit *Clapmarius*, † quem, ni-
molestum, hoc modo audiamus loquentem: *Ego rerum egenam esse
existimo Jurisprudentiam, si absq; comitatu aliarum scientiarum in hoc
mundo regnet. Nam & pleriq; etiam olim Philosophi, & Oratores, Za-
leucus, Archytas, Solon, Cleobulus, Chilon, Plato, Socrates, Aristoteles,
Phalereus, Pericles, Critolaus, pra omnibus tam belli quam pacis admini-
strationem susceperunt, & forsan laudabilius, quam hoc tempore, quo
omnia fora & conciliabula causis solummodo litigantium personant di-
judicandis.* Ab hoc non multum abludit *Dn. Arnold. Rath* † haec
proferens: *Fieri, inquit, vix potest, nec potest quidem, ut excellens Phi-
losophus si animum ad altiore scientiam applicet, non pariter in ea ex-
cellat: citius Aetiopem laveris, facilius hauseris aquam cribro, quam
currentem Philosophum obstaculo retardes, ne vel sublimes, abditasq;
Theologorum contemplationes, aut obscura Jctorum secreta vel exper-
tissimas Medicorum observationes possit penetrare, ipsa Philosophia re-*

rum



rum divinarum humanarūq; notitiā; variā quadam operā clavem sub-
 ministrante. Quod altius expendens Christophorus Besoldus, † vix se
 ab invectivā continere valet, dum in hac non veretur prorumpere
 verba: *Si quos scholasticos putamus, rerum politicarum quandoq; gna-
 rissimi sunt, ut de Buchanano refert Kirchnerus disput: ultim: hypot. 7.*
quippe studium historicum, quod maximè in Magistratu commendatur,
philosophicè tractandum est. Isthac ergò præsumptio, de quā retun-
 dendā non adeò laboramus, in præsentiarum transeat, cum sæpè
 proficiscatur ab iis, qui cruda studia ad forum, tanquam ad impu-
 dentia locum, propulerunt, palmam adepti, priusquam è carceri-
 bus exierunt, & Jcti, causarum Patrōni, omniaq; audire volunt, si
 tanquam in vānalibus latinè loqui audent; si libellos solennibus
 formulis tolerabiliter instruunt; si actiones decantare, syllabas au-
 cupari quoquo modo didicerunt. Quos tamen, ut ait *Baudius*, †
mos hodiè excusat, & barbaries forensis. His tandem epiphonematis
 loco infusurrari volumus illud *Tritheimii*; * *Nemo sapientum judi-
 cio veraciter doctus esse potest, qui in unius duntaxat Facultatis rudimen-
 ta juravit.*

Hoc Ego, *Magnifice Dn. Rector, & Excellentissimi Domini Professo-
 res*, ad vestram veniens Academiam volui habere pensi; nec statim
 id, quod primo sub ingressu meditabar juris studium, in salutatis
 aliis scientiis aggressus sum; sed monente sic *Limnæo* † per potio-
 res (absit jactantia verbis) præclariorum scientiarum præceptio-
 nes prius discurrere, & historiarum porticus, ac Theologorum ca-
 stra visitare annisum sum. Quod autem in utroq; jam aliquid præ-
 stiterim, & mediocrem disciplinarum Philosophicarum ac Juris-
 prudentia cognitionem imbibisse contigerit, maximā ex parte ac-
 ceptum refero Vestrae Academiae. Quo nomine vestro ordini
*Magnifici, Nobiles, Excellentissimi, Amplissimi, & Consultissimi Domini
 Juridicae Facultatis Professores* gratitudine devinctus teneor. Siqui-
 dem vestra in Academia privato studiorum ductore, & publico
 J. U. Doctore *Dn. Henning: Grossen* / tunc temporis pande-
 ctar. Professore, tyrocinia juris facere contigit. Taceo, quod à
 multis vestri collegii membris omni comitatis genere affectus
 fuerim. Quamobrem Vestris Excellentis harum pagellarum in-
 scriptione gratæ mentis indicinam exhibeo, & perpetuæ observan-
 tia

† C. Besol. dif-
 fert. 3. de Ma-
 gistr. & Censo-
 rib. cap. 1. n. 3.
 pag. m. 178.

† centur. 1.
 epist. 4.
 * Tritheim. in
 epistol. ad Cor-
 nel. Agrippan.
 tornis Agrip-
 pin. præfixâ.

† Limnæ. de
 P.P. tom. 1. c. 2
 n. 46



tia pignus depono, submissè rogans, meis studiis & conatibus favere, & pro re natâ mihi Vestro promovendi studio subvenire haud dedignemini. Consimiliter & Vobis, *Domini Professores Philosophicae Facultatis, praeceptores & promotores mei plurimum colendi*, oblatione harum thesium gratitudinis aram exstruere gestio, & omnibus, quos adhuc superstites alloqui licet, imprimis quorum præter publicas lectiones privatis in Collegiis fructus sum institutione, (ut tuâ Excellentissime *Buchnere* in *Corn. Taciti*, aliorumq; autorum prælectione; tuâ *Dn. Licent: Scharfi*, in *Log: & Metaphysicis* fidelissimâ; tuâ *M. Johannes Sperling* *Physices Professor* celeberrime in *Physicis* itidem *Metaphys.* dexterrimâ; tuâ *M. Christoph: Notnageli* *Mathemat. Professor* laudatissime in *Aritbmeticis, Astronomia, & Astrognosiâ* amicissimâ;) heic repono gratitudinis arrham, & quantum in me est, nunquam deprædicare intermittam vestram erga me meaq; studia benevolentiam; quam non leviter expressistis, quod absque *ωρεσωποληψία* me adhuc valde Juvenem, vix vigesimum & primum ætatis annum agentem, summo Philosophici honoris gradu ornaveritis, publico in promotionis actu locum à supremis proximum assignaveritis, & publicè docendi potestatem concesseritis. Gratâ etiam mente laudandum habeo, quod meo tempore vestro ordini associaveritis, & Facultatis Philosophicæ Adjunctos constitueritis Viros, optimo ingenio & docendi dexterritate pollentes. Et quos vel in specie honoris causa hic nominare licet; *Dn. D. Martin, Caselium*; à quo in *Ethicis, & Politicis, & Dn. Lic. Johann. Olearium*; à quo in *Geographicis, & historicis* fideliter eruditus sum. Hæc omnia jucundâ mente recolens, non possum, quin Vobis fausta quæque apprecer, & in bonam erigar spem, fore, ut eandem, quam olim reapse expertus sum benevolentiam, mihi porrò exhibituri, vestroq; studia mea, & promovendi, & commendandi conamine mihi nunquam defuturi sitis.

Dehinc Vos, plurimum Reverendi, *Magnifici, Nobilissimi, admodum Strenui, & Excellentissimi Viri, Domini Decani, Cancellarii, Abbas, Prior, Canonice, & Equites vario virtutum decore conspicui*, Vos (quos nisi pietas erga præceptores fecisset, fuisset allocutus primò) hac præsentis disputationis dedicatione submissè compello,
cmmi

642
omni animi humilitate petens, quoniam aliquas stricturas animi,
bonorum studia promovere ardentis, ante hac emisistis, me Virum
Juvenem, cætera quidem exigui pretii, Vestrarum tamen Magnifi-
centiar. observantissimum, & Vestram benevolentiam, eâ, quâ par
est, animi submissione exambientem, studiaq; sua Vestræ clientelæ
& propensæ voluntati committentem favore dignari velitis.

Tandem ad Vos, *Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Prudentissimi,
Integerrimi Viri, Domini Consules, Scholarchæ, Senatores, &
Octoviri Reipubl. Stadane; Domini Patroni, & Fautores multum co-
lendi*, hic se convertit dedicationis sermo. Siquidem vestra Urbs
suo prope jure à me sibi deposcit gratitudinis declarationem & ho-
noris exhibitionem. Etenim Vos me, ob varias anno 1637, in-
gravescentes belli calamitates Wittebergam, quæ me per quin-
quennium foverat, invitè relinquentem, ac pro temporum diri-
tate maritimis in asyis commorantem, Hamburgo ritè evocastis,
& juvenilem meam ætatem, honestâ vestro in Gymnasio Con-Re-
ctoris spartâ condecorare non despexistis. Vestræ urbi acceptum
referre cogor, quod cum Hamburgi ob vitam, quam post studio-
rum Academicorum interruptionem agebam desultoriam, &
quod stabulum non habebam stabile, animo valde fluctuarem,
cuinam vitæ generi me mancipare vellem, si quasi extorris nullum
è patriâ amplius sperandum haberem rerum gerendarum nervum,
& diutinâ temporis productione destitutus essem studiis invigi-
landi opportunitate, apud Vos contigerit Museum indipisci por-
tum. In quo jactatam studiorum navim defigere, & sacro morfu
semel ligare mihi fuit integrum. Atque adeo hujus occasionis
præbitione pristina mea studia recolere, & hoc quadriennio tem-
pus, quod à publicis lectionibus habui vacuum, L. L. meditatio-
ni impendere licuit. Quibusdam ex Vobis unicè tribuo, quod
Virorum ostracismum Atheniensium mihi imprecantium hacte-
nus non potior fuerit pollutia, quam dextrè de me meisq; studiis
sentientium. Pro his igitur & aliis, quibus me affecistis benefi-
ciis disputationem hanc in Academiâ Leucoreâ (cum vestrâ ve-
niâ Patriam invisendi, meamq; Wittebergæ relictam supellecti-
lem repetendi gratiâ abessem) publicè habitam, tanquam chat-
taceum gratitudinis *τεκμήριον*, inscribere placuit, omni animi hu-
manitate

manitate & humilitate contendens, me porro Vestram in clientelam recipere, studiis meis favere, eaq; à pinguiori sorte haud velitis repelli. Et si vel maximè sint, quorum puncto nullam rem facturi estis, si ea, quæ ab homine de scholâ in Rempubl. redundant merita, & eam, quam in fungendo pro-Rectoratu Athenæo vestro, ex Amplissimi Senatus desiderio, vertentem annum καδδύνα-
μιν præstiti opellam, remuneratione quadam contrâ hostiretis: at tamen Vos horum suffragia, qui affectuum sinisteritate correpti, nihil aliud, nisi sequius, de me sentire possunt, in nullo spero habituros numero, & potius, quid decor honesti suadeat, perpensuros esse. Quamdiu providentiæ divinæ nutus vestro in loco me commorari monuerit, contra meorum malevolorum manipulum, quæso mihi sitis patrocínio, & benevolentiae signis me quandoque exhilarare haud cessetis. Ego, juvante DEO, pro vestrae juventutis salute, & Vestro Reipubl. commodo ero studiosissimus, DEUMq; precabor, ut omnes meos Euergetas omni benedictionum genere augeat, eosq; quam diutissimè servet, sospitet, secundet, beetq;. Va-
lete. Dabam Witebergæ ex ædibus Dn. Wendeleri Philos. pract. Profess: publ. die 4. Maji.

*Vestrar. Magnificent: Excellent:
Nobilit: Claritat: Amplitud:
& Humanitat: studiosissimus*

M. JOACHIMUS DECHERUS.

AUSPICE CHRISTO,
Utpote in cuius nomine ad omnia consilia,
omnesq; actus nostros semper progredimur, l. 2. in pr.

C. de Off. Præf. præt. Afric.

lit. à veu wegouis

NOSTRÆ DISPUTATIONIS

Membrum I.

DE PRÆMIIS.

THESIS.

1. Nihil æquè necessarium ad Rempubl:
sartam tectamq; servandam, ac sollicita ju-
stitiæ distributiæ administratio, (A) quâ
Judex secundum legum formam & consci-
entiæ normam (B) justitiam & remunera-
tivam, quæ præmia, & punitivam, quæ
pœnas justè distribuit, rite observare, & pro-
re natâ geometricâ aut arithmeticâ pro-
portione (C) impetrare studet.

(A) Quandoquidem secundum Solonis assertionem præmio-
rum & pœnarum distributione universa Respubl. continentur.
Schönborn. l. 3. c. 20. p. 203. Quippe præmia & pœnæ sunt quasi duo
Reipublicæ fulcra. *Gerhard. tom. 6. de Magistrat. polit. art. 3. n. 293.*
p. 999. Sollicitè verò instituat hęc distributio oportet, quia ab
hac justitiæ regulâ discedere admodum periculosum est, juxta Re-
sponsum Biantis Pirenæi apud *Stobæum serm. 44.* Nihilq; periculo-
sius, quam de vitâ & sanguine hominis judicare. Adeoq; justitiæ
distributiæ administratio multum faciet ad Reipublicæ conserva-
tionem.

B

tionem.



tionem. Quare fallentur, qui hodiè in delictis & honoribus volunt sublatam esse justitiam distributivam. *Cephal. in tract. de orig. contract. in pr.* Item qui scribunt hodiè in omnibus nostris legibus reperiri non posse vel unicum exemplum justitiæ distributiæ. *Gribald. in repetit. l. virum. ff. si certum petatur.* Nam utrumq; falsum. Illud refutat totus titulus ff. de munerib. & honoribus. Hoc verò rejicitur à Jcto Juliano *in l. si ita scriptum sit. 13. ff. de lib. & posthum.* & ab Hermogeniano *in l. ex unciis. 57. D. de Hered. instit.* Vide *Matthi. Stephani de arte Juris c. 5.* (B) Non solum à veteribus Glossatoribus, sed etiam à nostri seculi Juris interpretibus mota est quæstio; *an judex secundum leges scriptas & acta & probata, an verò secundum scientiam judicare & pœnas atq; præmia distribuere debeat?* Præter illos, qui ubique præferunt conscientiam, sunt, qui cum distinctione affirmant posteriori propositæ quæstionis membrum, & secundum conscientiam judicandum esse putant in criminalibus, secus in civilibus, ubi probationibus destitutum, licet innocens sit rectè succumbere putant. *arg. l. 4. C. de Edend. & l. 2. C. de probationib.* sed iis *Dominic. Arumæus exercitat. 6. in parerg.* hoc reponit: quod scilicet nulla evidens diversitatis ratio assignari possit, & utrobq; tam in criminalibus quam in civilibus hoc casu veritas opprimeretur: Nonnulli secundum acta & probata solum judicandum esse censent; quorum nomina conglobatim citata vide sis apud *Dn. Theod. Reinking. de Regim. seculari & Ecclesiast. l. 2. cl. 2. c. 12. n. 15.* Nos utrumq; tenendum ducimus, & cum *Magnifico Dn. Reinking.* loco modo dicto n. 16. respondemus; Judicem semper secundum acta & probata, nunquam tamen contra conscientiam judicare debere. Nam qui neglectâ conscientiam judicat, is definitivâ suâ sententiâ nihil aliud præstat, quam quod in alterius læsionem mentiatur, cum sciat rem aliter se habere, quam ab Actore probatum est: Quod tamen procul sit ab omni Judice, quem decet etiam secundum propriam scientiam judicare *c. 1. de sententiâ & de re judicatâ in 6. & secundum id quod sibi visum fuerit justius & melius. Auth. Hodiè C. de Judic.* (C) Quæmadmodum pœnarum distributio, uti infra th. 28. lit. d. astruitur est Geometrica & nonnunquam arithmetica, ita & præmia quidem certo cum respectu personarum, circumstantiarumq;

rumq; distribuuntur. tot. tit. de munerib. l. nullis. C. de summâ Trinit.
l. semper ff. de jure immun. l. 3. l. 11. ff. de Decurion. l. 2. 6. 7. de vacat.
muner. Nempe majora majoribus; mediis modica; minoribus
minora; Consuli scilicet triumphus, Legatis Consulatus, Tor-
ques Equitibus, cæteris spolia. Kirchn. disput. de Republ. 19. th. 2. lit. a.
& Bodin. l. 5. de Republ. c. 4. Quod si verò præmia inter æquales
veniunt dividenda, locum inveniat proportio Arithmetica. Nam
ubi æquales sunt dignitates & æqualia merita, sequitur & præmia
debere esse æqualia.

2. Licet Vir bonus non propter præmia
Reipubl. suam operam locet, (A) attamen
convenit gratitudinis ergo præmia tribui
merentibus, (B) ut præclarè facientium.
copia in Republ. suppetat, & heroica faci-
nora sint frequentiora, (C)

(A) Christ. Besold. dissert. de præm. pæn. & Legib. c. 1. n. 10. circa
finem (B) arg. l. semper. §. 3. ff. de jure immunit. l. 1. C. de famoso libell.
l. & virtutum 4. C. de statutis & imag. l. 1. §. 1. ff. de just. & jure (C.)
arg. l. Medicos 6. in fin. C. de Professorib. & Medicis. & l. studiorum
labor. 1. C. de Adfessoribus, & domesticis & cancellar. jud. Nam pau-
ci post genus hominum natum reperti sunt, qui nullis præmiis
propositis pro patriâ vitam suam hostium telis objicerent. Cicer.
pro C. Rabir. Enimverò

Est labor ingratus quem debita præmia fallunt.
Owen. in Epigramm. Monost. Eth. n. 7. Hinc nostris in Rebus publi-
cis ob neglectam præmiorum curam fieri putat Christ. Besoldus dis-
sertat. dictâ n. 3. p. 110. quod in omni ferè statu tam rara hodiè sint
Heroica facinora. Etenim scitè loquitur Johann-Balthasar Schup-
pius in orat. de Nihilo: Ubi nullum virtutis præmium, ibi nullus
virtutis stimulus; ubi nullus virtutis stimulus, ibi nullum pro vir-
tute certamen; ubi nullum pro virtute certamen, ibi virtus ipsa
tandem abit in Nihil.

Bulle 2 3. In

3. In genere præmia, quæ in Republ: distribuenda veniunt; vel consistant in honore & dignitate; vel in pecuniâ & alia utilitate: (A) Illa virtuosis & merentibus exhibentur; vel *privilegiorum concessione*, (B); *Nobilitatis, titulorum Academicorum, aut officij Magistratus &c.* oblatione; (C) Hæc vel pecuniæ aut rerum mobilium & immobilium donatione conferuntur.

(A) *Piccolomin. in Philos. de Morib. gr. 10. c. 20.* præmium in rectè institutâ Republ. constituit duplex: unum principale in solo positum honore. Alterum secundo loco & ex eventu optandum ob humanas indigentias & imbecillitates; quod in pecuniâ vel aliâ consistit utilitate. (B) Licet non una omnium privilegiorum causa sit, & quædam propter simplicitatem aut juris imperitiam personis certis concedantur *l. 1. C. de Jur. & facti ignor. l. 3. C. de Testam. milit. l. 1. ff. eod.* Quædam indulgeantur ob sexus fragilitatem, ut *SCtum Vellejan.* Quædam in pœnam & odium, ut *SCtum Macedon.* in odium foeneratorum. Attamen primariò privilegia tribuuntur præmij loco Militibus aut aliis personis ad remunerandam præclaram operam, quam Reipubl. navarunt *l. testamenta. in fine. ff. de Testam. Milit. Donell. l. 2. comment. de Jure civil. cap. 28.* Unde etiam privilegium alicui concessum ob benemerita, utpote quia benemeritorum respectus prima causa *ωεγνωμεννη*; principis verò gratia & favor tantum causa *ωεγνωταρεκτηνη* privilegiorum fuit, sine justâ causâ revocari nequit: Ex merâ gratiâ verò concessum ad placitum concedentis revocari potest. *Reink. l. 2. cl. 2. c. 8. n. 26 & 29.* (C) Nobilitatis & titulorum Academicorum honorem offerri in præmium virtutis omnium Politicorum suffragio nititur, uti ex subsequentibus magis patefcet; sed officia Magistratuum, quæ potius onus quam honos vocari possunt, dari in compensationem meritorum,

torum, forsā auribus nonnullorum absōnum erit? Verum Nos hīc non tam labores, quam prāeinentiam Magistratus respici-
mus, ob quam Magistratus officium ad honores pertinet *l. 12. ff. de muner. & honorib. l. un. C. si quacung; pradi. potest.* Sive cum sumptu
sive sine sumptu modo cum dignitatis contingat gradu *l. 14. in pr. ff. eod.*

4. Quoad privilegiorum concessionem res clara est, quod Princeps & personalia & realia privilegia pro arbitrio indulgere possit. (A) sed an Princeps Titio sub sempronij Imperio & Dominio viventi, privilegia concedens, hoc ipso, sempronio jus illud & Dominium, quod in Titium habet, ex plenitudine potestatis auferre possit? non ineptē quæritur. Nos citra tamen Doctiorum præjudicium, arbitramur; si manifesta status publici utilitas prætendi possit, principem omninō hoc facere posse (B).

(A) Referuntur enim privilegia ad principum placita *l. 1. §. 2. & l. 3. ff. de Constit. Princip. l. 16. de Legib. l. 52. in fin. C. de Episcop. & Cler. Reink. l. 2. cl. 2. c. 8 n. 23.* Et licet hoc sensu ferantur esse privilegia, quæ à solā principum gratia proficiuntur, tamen illius gratiæ, quin certæ quædam sint causæ, non facilē dubitatur, ut ex Renato Choppingero citat Heider. in System. polit. cap. 2. pag. mibi 556.

(B) Ratio est (1) quia non solum ob benemerita libertinum ingenuitate & servum libertate à principe donatum esse ex titulis *ff. & C. de jure aureor. annulor. & natalibus restituend.* constat; sed principem & invito patrono id fecisse colligitur ex verbis final. *l. 2. ff. de Natalib.*



Natalib. restitend. (2). Quia in omni privilegio utilitas publica excepta credi debet. *l. si quis in gravi §. hi quoq. ff. ad SCtum Syllan. Arumae: ad Aur. Bull. discurs. 1. tb. 27. p. 39.* Si igitur publici status utilitas vertitur, sat sufficiens videtur subesse causa, quamobrem Princeps hujus vel illius privati hominis commodum ant incommodum insuper habere possit: Quippè salus Reipubl. summa lex est.

5. *Nobilitatis* præmium confertur *primariò* à Principe jure Majestatis jus Nobilitandi exercente. (A) Qualis in nostro Romano-Germanico Imperio est Imperator. (B) Rex Poloniæ, Bohemiæ, Ungariæ, & quivis alius in suo Regno; (C) Electores, Duces, Marchiones, & alij Principes verò, an quoad suum Electoratum, Marchionatum, aut Ducatum jure Nobilitatis conferendæ polleant? haud leviter disceptatur. Nos etsi dignitati Illustrissimorum Germaniæ Principum nihil detractum velimus, dissimulare tamen nequimus, negantium quam affirmantium opinionem Nobis videri verisimiliorem. (D) *secundariò* autem & ex privilegio præmium Nobilitatis confertur (1) ab Archi-Ducib. Austriæ (E) (2) à Comitibus Palatinis. (F).

(A) *arg. l. sed si hoc 10. §. 3. ibiq. Gotbofr ff. de in jus vocan. Petrus Fritze de Nobil. concl. 4* (B) *l. quoties 3. §. 2. C. ubi senat. vel Clariss. 13. C. de*

646

*C. de Consul. l. 2. § l. fin. ff. de Natalib. restit. Aruma. volumine 2. in
 Jure publ. discurs. 6. th. 5. & discurs. 35. th. 5. p. 1193. Quippè ab eo
 tanquam à fonte limpidissimo omnes omnium dignitatum sca-
 tent rivuli. Gail. 1. observat. 30 n. 21. (C) Arniseus de Jure Majest. c. 2.
 n. 6. quia tantum Rex potest in suo regno quantum Imperator in
 suo Imperio. Reinking. l. 1. cl. 5 c. 6. ferè per totum. (D) Facit no-
 biscum Arumeus tom. 2. de Jure publ. discurs. 3 th. 15. lit. e. p. 906. lin. 236
 Christoph. Besold. de Nobil. dissert. 2 c. II. n. 8. Sixtin. de Regalib. l. 1. c. 5.
 Dissent. Josias Nolden de Nobilit. c. 2. n. 18 & cum eo plures alij (E).
 Petrus Fritze de Nobil. conclus. 8. Josias Nolden de statu Nobil. c. 2. n. 20.
 (F) Comites Palatinos, quibus id concessum, nobilitare posse multi
 testantur. Aruma. de Jure publ. vol. 2. discurs. 16. th. 5. p. 532. & vol. 3.
 discurs. 2. th. 33. Pruckmannus de Regalib. part. 1. membr. 1. Memini
 etiam me quondam in diplomate Dn. Christiani Theodori Schöf-
 feri legisse, quod ex Cæsareâ concessione quotannis octo creare
 potuerit Nobiles, verba quæ ex illo excerpti, sic se habent: *Dantes
 & concedentes tibi Christiano Theodoro Schöffero plenam facultatem &
 potestatem, quod possis & valeas, per totum Romanum Imperium & ubi-
 libet terrarum facere & creare Poetas Laureatos, & Magistros seu Do-
 ctiores artium ac Philosophia. Itidem plenariam potestatem & autorita-
 tem tibi tribuentes, infames redintegrandi, spurios & bastardos
 legitimandi, veniam ætatis concedendi, contractus rescindi,
 insigniaque Nobilitatis octo benè meritis & ortu legi-
 timis Viris quolibet anno conferendi. Insuper quoq; Nota-
 rios Tabelliones & Judices ordinarios pronunciandi &c.* At fa-
 teri hic cogor id quod ait Josias Nolden de statu Nobilium
 c. 2. in fin; Tales Nobiles unquam extitisse Nobis non
 constat.*

His subnectitur porisma politicum; No-
 bilitatis dignitatem per honestam & sordium
 contagione haud inquinatam mercaturam
 obfusca-



obfuscari aut amitti absq; sufficientibus rationibus assertum videtur.

Non enim sufficientes putamus esse rationes, quas pro obtinenda affirmativa profert Mynsing. cent. 6. observ. 54. Sed assurgendum putamus. *Martin. Rumelino Dissert. 3. ad Aur. Bull. part. 3. lib. 9. Bernard. Schotan. in exam. Iurid. ad tit. de commer. & Mercat. p. 303. Adam à Contzen. l. 8. p. cl. ca. 10.*

6. Studiorum præmia dicuntur *tituli seu honores Academici*; (A) de quorum primâ introductione non est una omnium sententia: Eos verò tempore Lotharij in Europæis Academiis primum cœpisse frequentari, Nobis videtur verisimilius. (B).

(A) Titulos Academicos antiqui moris fuisse patet ex l. 7. C. de Professorib. & Med. l. un. C. de studiis liberalib. Urbis Rom. & Constantinop. eosq; studiorum præmia vocari latè differit *Christoph. Besold. de Iure Academ. c. 4. n. 3. p. 209.* (B) Nam Augustissimus hic Imperator Anno Christi post susceptam expeditionem in Italiam contra Rogerium Siciliæ Regem, ipso ex Italiâ pulso, leges Romanas per Irnerium Jctum Cancellarium suum in scholas & judicia revocavit *Philip. Melancton in 2. tom. orat. p. 415. in oratione de Irner. & Barthol.* Et ut legum professioni dignitas adhæret, per eundem Irnerium gradum Doctoratus introduxit, proinde; Bononiæ, cum ibidem jus civile tradi jussisset, promotiorem Doctorum Juris instituit, & Augustale Jus sibi competens in promotione Doctoratus cum certâ quadam promotionis formâ ab ipso Irnerio præscripta, scholæ tribuit. *Middendorp. de Academ. c. 7* Hinc colligere licet hoc tempore in Europæis Scholis Doctorum & Magistrorum ortam esse differentiam, & in concilio Viennensi à Pontif. Clemente V. approbatam uti patet ex *Clement. 2. de Magistris. Petrus Heigius part. 2. q. II. n. 47. 48. & seqq.* Postea idem privilegium promovendi ad Parisienses translatum, ubi Petrus Lombardus præsum

mus Theologiæ Doctor creatus, Pisisq; eandem dignitatem Medicis concessam fuisse testatur *Dresserus in millen. 6. p. 208. & seqq.*

647

7. Hodie ejusmodi tituli Academici adhibitis certis solennitatibus conferuntur ab eo, qui potestatem conferendi habet, (A) Viris Candidatis, idoneis, & per examina probatis, (B) in testimonium eruditionis ad excitationem aliorum ad eandem diligentiam, (C)

(A) Potestatem conferendi habet Imperator, alijq; Reges & Principes, superiorem non recognoscentes. Nam quemadmodum illis competit fundatio & confirmatio Academiarum; Ita etiam ab eorum autoritate jura & privilegia dependent. Quod verò nostro in Imperio Romano-Germanico solius Imperatoris sit, decernere titulos Academicos, eosque privilegiis & immunitatibus exornare constat ex *ordinat. Cam. p. 1. t. 3. §. deßgleichen sollen die Benschiger. Ibi in Univerſiteten / welche zum wenigsten von uns fern Vorfahren Römischen Keysern vnd Königen der jetzigen Keyserlichen Majestet oder uns confirmiret. Pückmannus de Regalib. c. 3. n. 2.* Veritatis igitur jacturam faciunt, quicunq; asurgunt verbis *Johannis Molani quæ in compendio Theologico tractatu 5. cap. 32. profert hoc modo: inanes sunt & irriti illi promotionum tituli, qui se ab obedientia summi Pontificis retraxerunt;* aut quicunq; Academiarum confirmationem necessario ad Pontificem Romanum pertinere contendunt. Siquidem magna inferretur injuria Academiæ Bononiensi, quæ à Theodosio Imperatore; Parisiensi, quæ à Carolo Magno; Pragensi quæ à Carolo IV; Marpurgensi, quæ à Philippo Landgravio Hasiæ; Jenensi, quæ à Johanne Friderico I. Electore Saxonæ; Juliæ Helmstadianæ, quæ à Duce Brunsvicensi & Luneburgensi unice absque confirmatione Pontificis fundatæ privilegiisq; ornatae atque confirmatae sunt. *Arūma. de J. P. volum. 3. discurs. 24. tb. 73.* Ad quid ergo Pontificis confirmatio & approba-

C



probatio? Sanè extra territorium Jus dicenti impunè non pare-
tur. *l. ult. ff. de jurisdict.* [B] Vocabulum Candidati Academicos
mutuasfe à Romanis, satis colligere licet ex iis quæ habet *Andr.*
Domin. Floccus l. 2. de potestat. Roman. Nobis hæc vox nihil aliud
notat, quam personam editis specimenibus honores Academicos,
tanquam publica eruditionis testimonia, appetentem. Ne vero
cuilibet Candidato honores conferantur, requiritur idoneitas,
quæ agnosci potest per examina. Quemadmodum enim illi de-
mum Athletæ immunitate gaudent, qui certis certaminibus co-
ronati reperiuntur. *l. un. C. de Athletis. l. commodis. 40. ff. de re judi-*
cat. Ita Insignibus ac privilegiis honorum Academicorum deco-
rari qui affectat, suam eruditionem certis præstare examinibus
jubetur. Accipiens verò gradum Doctoratus indignè, dicitur
peccare crudeliter *in Gl in c. 2. clement. de Magistris & ne aliquid exi-*
gatur pro Licentiâ docendi. Joh. de Selva in tractat. de benef. p. 1.
q. 6. col. 2. Ex his rationibus perperam agi reputatur, si vel Impera-
tor ipse, vel per Palatinos suos ex merâ gratiâ, vel conferendæ digni-
tatis & exhibendi favoris pronitate Doctores facit bullatos. Nam
Doctoratus non simplex est dignitas ut Nobilitas; sed fundatur in
eruditione, ipsiusq; debitâ & publicâ exploratione. *Bachovius ad*
Treutler. disput. 1. fol. 28. th. 7. Et quidem exploratio ista non sit per-
functoria, sed rigerosa *arg. Ordin. Cam. p. 1. tit. 18. in pr. vnd an wels-*
chem ort wol examiniret. quam per instrumenta vel testes proba-
re debent. *Mascard. de probat. vol. 1. concl. 227.* Quare ut accuratius
instituat examinat, in Academia Tubingensi laudabiliter fa-
ctum esse meminit *Christoph. Besoldus dissert. de Jure Academiæ.*
c. 4. n. 7. q. 2. quod si forsan quis privatim per quinquennium
Jurisprudentiæ operam dederit, ipsi tum loco unius duas dispu-
tationes fuisse injunctas. Nam aliis Candidatis per quinquen-
nium in Academia studiorum cursum absolventibus, & frequen-
ti specimenum exhibitione eruditionem suam Doctoribus & Pro-
fessoribus probantibus, modo unica pro gradu injungitur ha-
benda disputatio, quia reliquis studiosis constat, quales in studio-
rum commilitio fecerint progressus. Atque hæc vel unice suf-
ficere possent ad decisionem istius quæstionis: *An Doctores bul-*
lati à Comite Palatino creati, Doctorum in Academia promotorum
privi-

privilegiis frui & cum iis eadem existimatione gaudere debeant? Ne-
 gativa valebit etiamsi contrarium asserat *Dominic. Arumæ. dis. 1.*
ad Aur. Bull. lib. 5. Joachim Cluten in Diatribe 5. in princ. q. 1. & alii
magninominis Viri. [C] His exprimitur finis honorum Academi-
 corum, quod scilicet gradus & promotiones Academicæ introdu-
 ctæ sint, ut spectatæ eruditionis & præclaræ virtutis præmia ex-
 tent publica, ac Juventus ad studia bonarum ac honestarum artium
 incitentur, & docti ab indoctis discernantur. Nam honos, ut
babet Cicero, alit artes, omnesq; incendimur ad studia gloriâ. Et
apud Lucianum Solon; opinamur, ait O Anacharsi, Gymnasiorum
 desiderium in Juvenibus magis accendi, si eos, qui optimè sese gef-
 serunt, honorari conspexerint, & in medio Græcorum præconis
 voce magnificè proclamari; hoc modo, non pauci ex spectatori-
 bus virtutum ac laboris amore inflammabuntur.

8. Omnia quidem politica officia, præ-
 eminentiam aliquam secum ferentia, præ-
 mii loco offerri possunt; (A) Et quando
 Princeps aliquem evehit ad judicandi mu-
 nus eo ipso Nobilitatem personalem con-
 sequitur: (B) At Sacerdotia ejusmodi præ-
 mii ritè assignari posse dubitamus. (C)

[A] Offeruntur enim ut honores. At honor est, optimum vir-
 tuts præmium, ut infra th. 10. evincitur. [B] *Tiraquell. de Nobi-*
lit. c. 28. Munus enim etiamsi aliàs vile, si tamen demandetur à
 Principe non jam vile est, sed nobilitatem & dignitatem continet
l. nemo præfectus. C. de dignitat. atque adeò licet procuratoris offi-
 cium vilissimum sit. *l. 34. C. de Decurionib.* & tanquam contem-
 ptibilis functio etiam ab infamibus exerceri queat. *Wesembec: in*
parat. ff. de procurat. n. 4. Nihilominus tamen Principis procurator
 dignitatem habere & honorem, ac ex officio suo nobilitari dici-
 tur. *Tiraquell. de Nobilit. c. 30. n. 7. & seqq.* Consimiliter & procura-
 toris in Camerâ Imperat: officium non vile, sed honorabile est.



Rosbach. in prax. civili tit. 19. n. 9. Quia nomine Imperatoris offer-
tur. [C] Kirchner. disp. de Republ. 19. coronid. 4.

9. Præmia in utilitate consistentia, sunt omnes liberaliores Principum erogationes erga merentes, quæ non solum consistunt in rebus mobilibus & immobilibus; sed etiam ad res soli soloq; cohærentes extenduntur. Et hæc præmia honoris fulcrum dicimus. (A) ita Feuda; (B) commendaturæ; (C) & beneficia primariarum precum (D) in utile dantur præmium.

[A] Facile vacillabunt honorum tituli, si non comites habuerint divitias. Nam mundanus honor, ut habet *Aeneas Sylvius in Epist. 71.* divitiis sustentatur, quæ sunt fidejussores futuris necessitatibus, & sine quibus mortua est mortalis dignitas. Hinc Nobilitas sine divitiis est manca & ludibriis exposita. *Tiraquell. de Nobil. c. 25. n. 9. vel ut Mockbelius c. 1. n. 104. allegat ex Bo. Curt. de Nobilit.* Sicut fides sine operibus est mortua; Ita & Nobilitas sine divitiis. Nam divitiis diminutis diminuitur & honor. *Schneidew. ad tit. per quas personas cuiq; acquiritur n. 8. p. 485.* & paupertas de facto inter homines obest existimationi; juxta illud *Plautin. præstat divitem esse, & popularem, quam Nobilem & mendicum. Arumæ. de J. P. volum. 3. discurs. 15. tb. 26. p. 551.* Strictim; sine debitis & honestis divitiis omnis ordo vilescit. *Theod. Reinking de Regim. secul. & Eccles. l. 3. cl. 1. c. 8. n. 4.* Rectè igitur divitiæ vocantur honorum fulcra. [B] De Feudorum origine variæ quidem sunt disceptationes, quas summatim exponit *Petrus Heig. part. 1. q. 1. n. 6, 10. 13. 20. 23. 25. & 31.* & post eum *Johan. Georg. Besoldus in dissertat. de origin. Feudor.* quem vide sis. Nostra tamen fert opinio, si cum eodem *Besold.* ex citatâ dissertat. pag. 20. dicamus, feudorum quandam imaginem apud omnes gentes, quæ laude bellica cla-

ca claruerunt, reperiri, eaque feuda tanquam militaria beneficia cum ipsis imperiis initium sumsisse, nihil à veritate dissonum asseri. Quo præsupposito satis liquet id, quod in thesi asseritur. Et constabit, feudum non contractum, neque pactum, sed beneficium seu donationem quandam esse certà lege factam, puta hominii. *Giphani. tract. de jure feud. cap. 3. n. 8.* [C] Commendaturæ nomine indigitantur certi quidam districtus, oppida & terræ, quæ olim non nisi emeritis certorum ordinum Equitibus commendabantur, ut ex earum redditibus, quod superesset vitæ honestè sustentarent. Hodiè verò rebus ab antiquo usu mutatis aulicorum delitiis mancipantur. *Möck. de præm. c. 2. n. 106.* Nam ab iis qui olim Milites S. Mariæ Teutonici die *Teutsche Herren* dicebantur, & religionis causa contra hostes fidei Christianæ & armis & precibus pugnarunt, hodierno die degenerarunt nostri Teutonici, qui in ædibus commendatitiis vulgo *comptthuriren* vivunt. *Hospinian. de origin. Monach. c. 24. in fin. class. 3.* [D] competit hoc jus Imperatori, ut ratione primariarum precum in qualibet totius Germaniæ Ecclesiâ unum aliquem ad beneficium Ecclesiasticum, quem emeritum Consiliarium, aut aliàs virum præmio dignum putat, repræsentare, & ut recipiatur jubere possit. *Buxtorff. ad Aur. Bull. c. 4. conclus. 65.* Eoq; jure adhuc hodiè gaudet Imperator etiam in terris protestantium principum: Modo is qui à Cæsare offertur, non sit religionis Pontificiæ, ne quid contra pacificationem in præjudicium Ecclesiæ reformatæ susceptum videatur. *Arumæ. ad A. B. discurs. 3. p. 34. & 35. Theod. Reinking. de Regim. secul. & Ecclesiast. l. 3. cl. 1. c. 9. n. 56. 59. & seqq. Syringius de pace relig. conclus. 31. den man wolverdiente Natschirer in den Klöstern ex ordinatione Cæsareâ, erhalten muß. Also werden die Stuelbrüder von Keyserl. May. in die canonicaten gesetzt. Lehman. ult. cap. 109.*

10. Optimum quod ex his omnibus dari potest præmium est dignitas seu honor,

A) qui tanquam remuneratio seu honorarium confertur à Viris potestatem confe-

C 3 rendi



rendi habentibus (B) personis idoneis (C)
pronavatâ Reipubl: operâ in excitationem
aliorum ad idem studium (D)

[A] Honorem optimum dicimus esse præmium, quia bonorum
extremorum maximum est gloria. *Aristot. l. 4. Eth. c. 3.* & uberri-
mum alimentum virtutis est honos *Val. Max. l. 2. c. 6.* utpote qui
virtutem sequitur ut corpus umbram juxta versum:

Gloria virtutem sequitur, ceu corporis umbra.

Verum quemadmodum umbra non semper uno eodemque modo
corpus comitatur; sed pro diversâ corporis *hæret*, & radiorum
adventu: Ita etiam virtutis præmium non uno eodemque modo
Viris virtuosus contingit, & multa pro malorum morum positu de-
facto fiunt, quæ de jure fieri non debebant. [B] *Piccolomineus*
grad. 8. c. 31. p. 685. honorem à Viro malo & improbo provenire pos-
se negat, quia (1) honorare est actio proba (2) quia in improbo ju-
diciū honesti & veri boni depravatum est. E. honor ut est vir-
tutis præmium à Viro bono, qui virtutis Naturam rectè dijudica-
re, & quod virtutis est, benè merentibus tribuere potest, solum
proficiscatur: sed nostrâ opinione honor, si consideretur, ut est
dignitas & præminencia quædam, etiam provenire poterit à Vi-
ro improbo. Insuper & conferatur à tali, qui jus conferendi ha-
bet. Nam Judex pedaneus non potest conferre honores Aca-
demicos. Et quo major est is, à quo dignitas quædam profluit, eo po-
tiori gaudet honore & præcedentia is, cui titulus & dignitas con-
fertur. *Limna: l. 4. c. 9. n. 29.* [C] *arg. c. in cunctis sacris. De Electio. &*
Electi. potestat. extra Idoneæ verò dicuntur personæ ratione *sexus,*
ætatis, morum & vitæ. Quoad *sexum* ab honoribus publicis (nisi re-
gnum sit successivum, in quo consuetudo foeminas succedere per-
mittens est pro lege) arcendas ducimus foeminas. Quia foemina
minus apta ad honores & munera publica obeunda. *Aristot. l. 1. pol.*
c. 8. Siquidem præter id, quod ad prudentiam, aliasque masculi ani-
mi virtutes sunt languidæ & imbecilles, etiam hoc in foeminis de-
sideratur, quod personis publico honoris gradu ornatis competat
palam & publicè sui copiam facere: Foeminis verò manere domi
& colo

& colo aliisq; mulieribus negotiis vitam tolerare. Unde Cato apud Livium l.4. dicit: *Majores nostri nullam rem nec privatam quidem agere feminas sine autore voluerunt, ideòq; in manu esse parentum & Virorum.* *Ætas* ob ingeniorum varietatem, quorum quædam tarda, quædam verò præcocia sunt, certa quidem determinari nequit. Consultum tamen ducimus, dignitates & honorum titulos Adolescentibus ob frequentiores animi perturbationes, & usus atque exercitationis defectum minimè conferendos esse. Nam ante annum vigesimum & quintum animus veræ prudentiæ cortice vix obducitur. Hinc Plinius ad Trajanum; cautum est, sinquit, ne quis capiat Magistratum, neque sit in senatu minor annorum 30. *Morum vero integritas & vitæ probitas*, quæ in virtutibus tam intellectualibus, quam moralibus consistit, in personæ idoneitate utramque facit paginam. [D] quia attestante Plutarcho duo sunt alimenta virtutis: *Spes honoris & metus pœnæ*; quorum ille incitamenta ad pulcherrima studia præbet, hæc segniores ad vitia reddit.

II. Quoad præmiorum distributionem non cuivis promiscuè præmiorum fores sint patulæ; (A) nec pecuniâ aut turpi nundinatione, ut quasi hætarum solennitate plus offerenti addicantur, prostent honorum tituli, aut Magistratum administrationes; (B) alioquin præstò erit declinantis Reipubl. omen. (C)

Si enim sine discrimine passim vulgantur, & promiscuè cuivis competitori conferuntur præmia, amplius non sunt præmia. Nam honor, cum donatur pluribus, vilescit, & quo est rarior, eo etiam est gloriosior. *Mockhel. c. 2. n. 165.* Unde Tiercelinus antiqui moris in Gallia Eques mordaci dictorio indignabundus sæpè dicebat: Torquem conchylatum postquam indignis promiscuè communicari

municari cœpisset, non jam esse fortium Virorum insigne, sed omnium bestiarum collare. *Thuan: 23. fol. 469.* Ad hoc facit illud quod *Joban. Bodin. l. 4. de Republ. c. 4.* præmium à beneficio distinguit hoc nomine; quod beneficium etiam immeritis, præmium verò non nisi merentibus detur. Quod si ita; nemini ad vera consequenda præmia patebit aditus nisi virtuoso. Præterea præmia non sunt bonum privatum sed publicum. Non igitur promiscuè; sed iis solùm conferantur, qui virtutes suas publicè declararunt [B] *arg. Novel. 8. c. 7.* Et licet mortalibus quidem nihil carius sit pecuniâ, *Dambouder: in encom: pecun: Et nihil non pecuniæ gratia fiat. Sonsbec. de feud. part. 1. n. 38.* Absit tamen præmia prostant pecuniâ, & ii qui argenteo palpo delinire norunt Magistratus, præ dignioribus præmia auferant. Rectè scribit *Cicero l. 10. Epistol. famil. ad Marc.*; Is mihi verus honos videri solet, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter magna beneficia claris Viris defertur. Sic apud Romanos olim ii, quibus committebantur Magistratus & publici officii administratio, jurare cogebantur, se ad obtinendam administrationem neque dedisse quicquam, neque duros postmodum sive per se, sive per alios. *l. sancimus 6. C. ad L. Jul.* Hodie in Anglia qui ad Episcopatus evehuntur, post collatam dignitatem jurejurando publicè affirmant, nullis se largitionibus dignitatem acquisivisse. *Marc. Frider. Wendel. in Institut. polit. l. 2. c. 5. th. 2. n. 2. circa fin.* At in Gallia jurant Magistratus se nihil pro officio dedisse, & tamen notoriè falsum jurant, quam jurandi & juramentum admittendi levitatem à *Pasquier. graviter taxatam esse dicit Christ. Besold. in Fascic. 2. Juridico-polit. dissert. de jurejurand. 1. th. 28.* [C] Hoc enim si fieret declinantis Reipubl. omen adesse putamus. Quandoquidem hac ratione improbi, si modò divites fuerint, ad Reipubl. clavum sedebunt, & paupertas ab omni dignitate excludetur, quoniam dignitas non amplius datur hominibus, sed divitiis. Taceo quod ansa præbeatur avaritiæ & aliorum vitiorum turpitudini. Quemadmodum igitur Vespilliones in aliquam domum intrantes certissimum faciunt signum funeris: Sic & Reipubl. collabentis; Si ad ejus præcipua munera homines vitiis dediti adhibentur. *Mockhel. c. 2. n. 146.* Sanè intellexit hoc (teste *Lampridio*) Imperator Alexander Sever-

Severus, Iqui ejusmodi nundinationes serio prohibuit, & sapius dicere solitus est: *neceffe est, ut qui emit, vendat, & qui rem familiarem dignitatibus coemendis exhaustit, aliunde lacunas suas expleat.* *Arumæ. vol. 2. dif. 17. tb. 34.* Hinc specimen optimi status esse, ait *Baudius cent. 2. epist. 72. p. 311.* quum præmia & honores non petentibus accrescunt, & digni gratiosis præferuntur; vituperandum vero maximè, cum Marco Catoni honos negatur, & fæx Quiritium præturam defert Vatinio.

12. Periclitante vero Reipublicæ salute aut ærario penitus exhausto excusandum & tolerandum putamus, si quando Princeps officia publica & istas dignitates, quas alio tempore gratis obtulit, pretio diven-derit.

Ferdinand. Vasquius lib. 1. controvers. c. 43. n. 7. & 9. Thomas Lansius in discurs. de L. Regiâ th. 104. Bornit. de ærario. l. 2. c. 6. Jodoc. Damhouder: in pract. rer. criminal. c. 131. n. 9. qui tamen distinguit primò si clam & nescio principe, aut si per ipsum principem ejusque officarios factus sit contractus ambitiosus, eaq; pecunia pervenerit ad emolumentum principis. Prius improbat, sed posterius approbat. Secundò distinguit inter forum temporale, & forum conscientie: quoad prius; talem emptionem & venditionem putat esse excusabilem; sed non quoad posterius. Item *Bachovius in not. ad paratitl. Wesembec. ad L. Jul. ambit. n. 5. circa fin.* ubi dicit quod in Gallia moribus observatum sit, imò & lege, ut officia etiam majora vendantur, nec quisquam eo nomine reprehendat Regem. Adhæc facit talis ratio: quod si quis aulico pro obtinendo favore principis rem mobilem sive immobilem, interveniente tamen scripturâ promiserit, omninò tenetur *l. un. C. de suffragio.* Et si quis pro muneribus, quæ non singulari dignitate & jurisdictione corruscant, licitè largitiones offert & recipit *arg. l. 1. & l. ex pollicit. ff. de pollicitat.* Quidni imperante sic necessitate pro omnibus

D.

mnibus



manibus muneribus publicis, & Magistratibus pecuniam ac remunerationem sumere posset princeps?

13. Obiter hinc inferere placet *paradoxum politicum*: plus nocet is, qui premia non rectè confert, quam ille, qui in puniendo non procedit ex merito.

Expresse suum Nobis adjicit calculum Christoph. Besold. disert. 2. de prem. pœn. & legib. c. 2. n. 5. à quo haud abnuere videntur Philipp. Decius cons. 114. Ferd. Vasq. l. 1. contr. c. 35.

14. Si lege castrensi præmium est propositum illi, qui primus hostiles conscenderit muros aut vexillum hostibus eripuerit: duo verò aut plures idem præstiterint simul, quæritur, cui illud tribuendum? Nos relictis aliorum opinionibus, rem aut sorti committendam, aut præmium ex a se tribuendum putamus.

Si de majoratu inciderit controversia, non levem hujus quaestionis usum esse, perhibet Andr. Tiraquell. de primogenit. q. 17. sed accipites hinc deprehenduntur Doctorum opiniones. Nonnulli statuunt, quod singuli solidum debeant habere præmium, ut Corset. in tract. de bravio q. 1. n. 5. Franciscus de Ripa in L. si quis in fund. §. final. in fin. ff. de Legat. 1. Quidam cum Andr. Tiraquell. in tract. de primogenit. q. 17. opin. 2. n. 12. non cuique dandum esse præmium firman, sed dimidiatum. A quibus multum ablucinator Accursius, in l. Nefennius. 34. ff. de Negot. gestis. dicens; anile vel rusticum esse, id de quo contenditur, inter litigantes dividuum facere, quoniam nulli (excepta l. 40. de hered. instit. juncto §. ult. Instit. de vulg. substit.) extat tale componendæ litis adhibitum esse remedium, ut res de qua quæritur, à Judice inter litigantes dividatur. Quod nostri

noſtri Germani vocant einen Baurenschied. *Theodor. Hoëping. in tract. de jure inſign. cap. 4. n. 36. & ſeqq.* Noſtra, quæ in theſibus propoſita eſt ſententia, ſuis nititur rationibus, & tum ad Facultates ejus, qui præmium propoſuit, cum ad id, quod præmii loco propoſitum eſt, reſpicit. Si præmium proponens divitiarum abundaverit luculentitate, ita ut ſine inſigni bonorum jacturâ præmium de facili aut duplicare, aut quadruplicare poſſit, præmium cuius in ſolidum & ex aſſe tribuendum remur. *arg. l. qui filiabus. §. 1. ff. de Leg. 1.* Quandoquidem Principis beneficium largiſſimè & pleniſſimè interpretari decet, ut vult *Innocentius III. in c. cum dilecti 6. de donat.* ubi in contractibus plenam; in teſtamenti pleniorè; in beneficiis quam pleniſſimam interpretationem adhibendam eſſe ait. Sic Scipio Africanus, cum muralis coronæ præmium ei dandum eſſet, qui primus Carthaginiſe novæ, quam obſidebant, mœnia conſcendiſſet, duoq; ſimul eos muros ſe conſcendiſſe contenderent, utrumque murali coronâ & honore donavit, referente *Tit. Livio de bello punico ſecundo l. 6.* Quod ſi verò is, qui præmium propoſuit, non ſine inſigni bonorum ſuorum diſpendio, aut ærarii publici detrimento præmium duplicatum dare poterit, aut ſi præmium in tali re eſſet poſitum, quæ dividi aut duplicari nequit, ut ſi præmians Nympham aliquam in præmium conſtituiſſet, rem ſorti committendam eſſe ducimus *arg. l. ſin. C. communia de legat. 1. in tribus iſtis ff. de Judiciis.* Quippe hac ratione & ſiſ dirimeretur meliùs, & largientis facultates, quas non adeo luculentas præſupponimus, non ita attenuarentur.

15. Princeps ſi in diſtributione præmiorum locum fecerit proverbio; *γαλῆν κερκωλόν* & ob flagitium aliquod præmia nobilitatis decernit, (A) aut calumniatores, alioſq; delatores, & nequiſſimos Aſſaſſinos præmiis provocat, (B) non ſolum ipſe impius videtur impiis dare præmia, ſed etiam proſperitatis everſionem inducet, (C) [A] Aſſe-



[A] Asferit quidem *Bodin. l. 3. de Republ. c. 8.* Nobilitatem primitus præmium sceleris fuisse; Ita Cnæus Flavius, Tribunus plebis, Senator, & Ædilis Curulis à populo Romano factus est, ob surreptum actionum librum *Liv. l. 9. histor. Rom. c. 46. in pr. Valer. Max. l. 2. c. 9.* [B] Pari modo calumniatores & delatores olim præmio affectos esse, constat *ex l. 25. de Scto Silan. & in specie quarta pars bonorum delatori ut vulgare præmium adjudicatum est l. 13. §. extat. ff. de Jure Fisci.* Videatur *Jacob. Menoch. de Arbitrar. Jud. quest. l. 2. cent. 2. c. 98. n. 4, 5. & seqq.* Ita omnibus Asfalsinis qui Wilhelmum, Principem Auriacum, Comitemq; Nasfoviæ, vel vivum sisterent, vel mortuum traderent, 25000 coronat. & Nobilitatis jura promissa sunt. *Em. à Wetteren l. 10. relat. Belgicar. sub Anno 1580.* [C] Verum absithoc puncto Bodino assurgamus, aut aliorum facta minus laudanda approbemus. Potius impios judicamus omnes, quicunque Nobilitatis privilegia, scelere acquirere non abhorrent. *Tiraquell. de Nobil. c. 6. n. 25.* & parùm aberit, ut Cn. Flavio Ædile creato, cum Nobilioribus Romanis non tantâ commoveamur indignatione, ut aureos annulos abjiciamus. *Liv. l. 9. c. 48. in fin.* Nam quæ sunt virtutis testimonia, non sint sceleris præmia *Obrecht. de Regal. tit. 4. th. 109.* Delatoribus verò quod tum temporis etiam oblata fuerint præmia, infelicitate status factum est. Verum procedente dein tempore manifestior usus docuit, homines ejusmodi improbo inhiantes lucro, vix unquam debitam præstitisse integritatem, unde hoc in consequentiam minimè trahendum putarunt boni quidam Principes, qui omnem defendendi licentiam ita amputarunt, ut delatores gravibus subjicerent pœnis *l. 5. §. tot. tit. C. de Delator.* Jure pontificio delator, si ob veram delationem fuerit proscriptus, aut morte affectus, communionem privari; quod si Catechumenus fuerit, baptisma ejus deferri debet *caus. 5. q. 6. c. Delator.* Prosperi igitur status eversionem inducet, quicunq; hanc nebulonum colluviem præmiis plus auget, quam ut illiberalitate eos, in primis quasi herbis existentes, suffocet. Nam memorabilis vox est apud *Sveton. Princeps qui delatores non castigat, irritat.* Et quale lignum talis Mercurius: quale marmor tales Jovis statuae. *Josi. Nolden. de statu Nobil. civil. c. 3. n. 24.*

Mem



Membrum II.
DE POENIS.

16. Licet axioma sit politicum: *Plus laudis est, si Magistratus efficiat, ne facinora perpetrentur, quam si patrata condignis pœnis & suppliciis afficiantur:* (A) Attamen si sunt, qui spe præmii ad virtutis studium invitari nequeunt, eos Magistratus ex officii necessitate (B) metu & terrore pœnæ ad pravas & improbas actiones tardiores reddere, & correctionis medicinâ ad vitæ decora impellere studeat, (C) adeoq; fontibus etiam capitales pœnas infligere non abhorreat, (D) quò nonnunquam fiat, ut pœna unius metus & salus sit multorum (E).

[A] Besoldus in Synps. polit. l. 2. c. 3. th. 23. [B] l. congruit officio presidis. 13. ff. de off. presid. l. ita vulneratus 51. §. ult. ff. ad l. Aquil. l. si operis publ. 14. C. de pœnis. [C] l. unic. C. de emendatione propinq. l. si pœna. 20. ff. de pœnis [D] improbant hoc multi ex Photinianis Anabaptistis & Scholasticis, citante Besoldo dissertat: de præm: pœn: & Legibus c. 3. n. 2. p. 115. Nos approbamus rationes, quas contra illos adfert. D. Johan. Gerhardt tom. 6. de Magistrat: polit. n. 296. & seqq: Item Marcus Frider. Wendelinus l. 1. Chr. Theolog: c. 19. §. 11. n. 4. p. 622. [E] l. 6. §. 1. & l. capitalium pœnarum 28. §. famosos. 15. ff. de pœnis. l. 1. C. ad L. Jul. repet: l. præsens. in princ. 57. C. de Episcop. & Cler. Novell. 30. c. 11.

17. Vox pœnæ sumitur apud Latinos pro quavis noxæ vindictâ (A) & expedita ibi
D 3 est



est æquivocationis explicatio, quoad vo-
cem, tam primitivam, quam ejus derivata.
At apud Germanos in Constitut: Caroli V.
sæpius occurrit vox *peinlich* / quæ hodiè
multis præbet ansam disputandi, quid pro-
priè notet, & quam latè ejus vocis significa-
tus pateant? (B) Nos statuimus vocem il-
lam *peinlich* apud Germanos non solùm de-
notare pœnas corporis afflictivas, sed & ad
similes aliasque leviores extendi, non pro-
priè, sed per consequentiam. (C)

[A] *l. 113. ff. de V. S.* [B] *Petr. Frider. Mindan. de processib. l. 2. c. 9. n. 22.*
asserit prædictam vocem apud Germanos semper denotare pœnas
corporis afflictivas, & vult ut actio pœnalis dicatur *eine peinliche
Klage* / utpote quæ maleficia saltem, super quibus ad torturam &
corporis graviores pœnas agi solet, comprehendat. Quando verò
criminaliter agitur ad mulctam Fisco applicandam, quod tunc ac-
tio Germanis sit dicenda *eine Bürgerliche strafflage* vel *büßlage*.
Sed si criminaliter agitur ad mulctam parti applicandam, quod ac-
tio tunc vocanda sit *eine Bürgerliche schadflage*. Quem sequitur
Ernestus Cothmann. respons. Acad. 1. n. 192. & 206. [C] Sed à nostris stat
partibus *Dn. Theodor. Reinkingk. de Reg. secul. & Eccl. l. 2. cl. 2. c. 14. n. 51.
& seqq.* Notabile tamen hîc est, quòd vox *peinlich* in foro Saxoni-
co notet pœnas corporis afflictivas tantùm. *Benedict. Carpzov. in
praët. nov rer. crimin. part. 3. q. 136. n. 54.* Sic dicitur de senatu Acade-
mico Wittenbergensi, quod in omnibus Academicorum delictis,
pœnam corporis afflictivam non merentibus, sententiæ executio-
nem habeat: At ubi est processus *des peinlichen Gerichtes* com-
mittitur pœnæ irrogatio & executio Illustrissimo Electori, uti à
Magnifico Dno. Præsidente, patrono meo honorando, sum edoctus.
Nihilo

654
Nihilo secius tamen, meo puncto, Academia Wittenbergensis habebit merum imperium. Quod licet non sit in excellenti, tamen erit in remissiori gradu.

18. Divisiones & genera pœnarum à variis vario recensentur ordine. Communiter tamen dividuntur in ordinarias & extraordinarias: (A) corporales, vel non corporales. Ex corporalibus quædam sunt capitales, quædam non-capitales. (B) Capitales tribus includuntur gradibus: Primus gradus continet pœnas, quibus homo necatur: secundus habet pœnas quasi-capitales & ad mortem proximè accedentes: tertius continet pœnas, quæ ad existimationem & famam pertinent, propter corporalem punitionem vel damnum cum infamiâ. (C)

[A] Per text: l. ii. l. 16. ff. de pœn: & tot. tit. D. de extra. crimin. [B] Wesemb. in c. de pœn. n. 7. Quoad subdivisionem Dd. variant. Nos de iis, quæ circa divisionem hic à nonnullis controvertuntur, non adeo altercabimur; sed scopum nostræ disputationis respicientes non quemlibet Dd. dissensum, sed axioscepta & quam maximè disputabilia proponemus ventilanda. [C] Atq; sic quoad hanc divisionem sequimur Anton. Perez, in comm. ad Cod. de pœnis. quo cum facere videtur prosper. Farinac. de delict. & pœn. l. i. t. 3. q. 19. n. 1.

19. Pœnæ quibus homo necatur, pro loci varietate sunt variæ. In nostro Imperio Germanico-Romano usitatiores sunt: supplicium

plicium vivicomburii; quod frequentius
sumitur de Sodomitis, (A) Incendiariis, (B)
Veneficis magis, cum Diabolopactum ex-
pressum vel tacitum habentibus, (C) sed an
etiam rectè de hæreticis? quæstionis est.
Nobis placet negativa. (D)

[A] Leges civiles quidem exprimunt poenam gladii *i. cum vir
nubit. 31. C. ad L. Jul. de adult. l. 1. §. 2. ff. de extraord. crim. in §. Item
lex Julia. Instit. de Publ. Jud.* Sed Constitut. Caroli V. crim. art. 116.
poenam ignis dicitur his verbis; *man sol sie mit dem Sewer vom le-
ben zum tode richten* Quod si verò maritus cum uxore non ipsam So-
domiam exercuerit, sed Sodomiticè eam tractaverit, locum invenit
poena fustigationis. *Coler. decis. 186. n. 3.* Ut & mitior poena datur,
si quis tantum audiat mastrupator, scilicet poena exilii, aut arbitra-
ria. *Damboud. in prax. rer. criminal. cap. 98. n. 6.* Multus in hac mate-
riâ est *Farinac. de delictis carnis q. 147.* ubi plures refert casus, in
quibus poena ignis haud adhibetur. [B] Constitut. Carol. V. art. 125.
his verbis *die bosshaffrige/überwundene Brenner sollen mit dem sewer
vom leben zum tode gebracht werden.* Nam quia incendiarius multis
per incendium præparavit mortem, ideò simile mortis genus re-
cipiat ipse *arg. l. sacularii. 7. ff. de exttaord. criminib. Schneidew. in
Instit. ad tit. de L. Aquil. §. capite tertio. n. 5. Matth. Coler. decis. 186. n. 1. &
seqq. Gail. l. 2. observ. 22. n. 6.* [C] Constit. crim. Carol. V. art. 109. in pr.
Matth. Berlich. part. 5. concl. practicab. 5. n. 38. & seqq. [D] Hæreticos de
Jure Saxonico poenâ cõbustionis plecti, tradit *Matt. Coler. decis. 177.
n. 2.* Et idem obtinere de consuetudine regni Siciliae, testatur *Rob.
Marant. in spec. aur. part. 6. dist. 1. n. 187. pag. mibi, 243.* Huic suffragatur
*Jac. Menoch. dicens passim genus mortis pro hæreticis esse concre-
mationem. de A. 7. Q. lib. 2. cent. 4. cas. 374. n. 2.* Et *Damboud. in prax.
crim. cap. 61. n. 58.* Nos putamus, quod hoc potiùs cõsuetudine, quàm
jure sit receptum, ut scribit *Gundislaus tractat. de hæreticis q. 15. n. 4.* Et
si quando leges & Impp. Constitut. hæreticis poenam capitis infli-
gunt, eas non de naturali, sed civili capite, puta deportationis intel-
ligen-

ligendas esse asserimus. *Wesemb. in par. Cod. de heret. & Manich. n. 6.*
 Quippe cum in poenis semper mitior interpretatio sumenda sit *l. semper. ff. de R. J. l. praeses. ff. de poen. l. pen. ff. eod. æquius multo pariter & humanius per Dd. receptum est, poenam capitalem intelligi debere non de vitæ amissione, sed potius de morte civili, id est, deportatione & relegatione. Farin. l. 1. de delict. & poen. tit. 3. q. 19. n. 3. præsertim cum hæreticus non ex affectato, sed simplici errore, conscientiæ suæ opinionibus obsequens, nullius fraudis neque doli argui possit. At sine fraude & dolo poena esse nequit l. 131. ff. de V. S. Proinde opinabilis conscientia hæreticum æquè obligabit, atque alios vera & recta. Nam opinabilis conscientia etiam est conscientia. Mart. Casel. in system. Eth. disp. 3. c. 1. §. 6. Non igitur tortore sed Doctore hic opus erit. Lips. 4. pol. 4. Et ex sententia divi Chrysof. in homil. de Anathem: dogmata ab hæreticis profecta, anathematizari oportet; hominibus autem parcere, & pro salute eorum orare. Quo d si vero dogmata pertinaciter retinere, illaq; aliis instillare non cessaverint, poena exilii, & publicationis bonorum sufficere potest. Utpote quibus poenarum generibus in hæreticos usi fuerunt olim Imppp; probante & attestante hoc ex testimonio Corassi Petro Theod. in coll. criminal. disp. 5. §. 9. lit. c. circa finem.*

20. Item suspendium; quæ olim apud Germanos proditoribus & transfugis adjudicata fuit poena; (A) hodie vero ex Carol. V. Constitutione rectè irrogatur furibus. (B) Et licet quibusdam improbata sit; (C) iniæqua tamen vocanda nō est. (D) Quando autem mos iste, quo corpora suspensorum insepulta relinquuntur, à quibusdam vehementer taxatur, alius nobis sub manibus nascitur status controversiæ. Ub, nisi dicendū quod res est, diffiteri non possumus, hoc re-
 E spectu



spectu suspendium nobis ex parte pœnam
videri duram. (E)

[A] Tacitus de morib. Germanor. pag. mihi in editione Elzvirianâ
698 lineâ 20. [B] In ordinat. crimin. art. 157. & 158. & seqq. [C] nec ra-
tionibus Ethicis, nec politicis justam proportionem inter furtum
quinq; solidorum seu florenorum aureorum Ungaricorum, & su-
spendium induci posse, asseverat Bachovius in not. ad par. Wesemb. de
furt. n. 15. ad verba: ex constitutione Friderici. Item ad Treutter. in disput.
de privat. delict. Matth. Steph. de jurisd. l. 1. c. 8. n. 51, 52, 53. & seqq. Ke-
kerman. disp. 32. cursus Philosoph. q. 2. [D] iniquum enim non est,
quicquid lege permittente fit. arg l. 4. Grachus. C. ad L. Jul. de adult.
[E] Ex ista parte dura videtur hæc pœna, & delicto suo non conve-
nienter commensurata, quando corpora non dimittuntur ex pati-
bulis, sed corvis dilanianda permittuntur, adeo ut ossa sæpius
in plures annos de infami trabe pendeant, unde non inconcinne
ait Job. Corasius, suspendium inter omnia pœnarum genera, quæ
à veteribus excogitata sunt, esse ignominiosissimum, turpissimum,
& maximè infame. Marc. Frid. Wendelin. ad Institut. polit. l. 2. c. 13. §. 9.
explicat. 1. Idem vult Ludov. Gilbansen in arbor. crim. cap. 3. tit. 27. de furt.
n. 44. ubi dicit; Magistratum ex officio debere procurare, ut cada-
vera punitorum terræ mandentur.

21. Item membrorum in rotâ confractio;
(A) quam constat haud rarò infligi nefariis
homicidis, & publicis latronibus: (B) suf-
focatio, seu submersio in aquam; quæ mori-
bus nostris irrogatur mulieribus, si unum
tantum partum occidisse deprehendantur:
(C) amputatio capitis, seu decollatio: (D)
dissectio in quatuor partes, quæ fit vel
adhibitis equis, vel instrumentis ferreis. (E)

[C] Hoc

656

[C] Hoc genus supplicii à Germanis primùm inventum, tradit *Langleus, l. 10. c. 3.* Et multis retrò seculis in usu apud illos fuisse docet *Barthius advers. 9. cap. 1.* Sed hodiè in terris protestantium per Germaniam principum tam horribili modo non usurpatur hoc ossifragii supplicium, vulgò *daß Radebräcken* / uti *Joh. Damhouder. in prax. rer. crimin. cap. de condemnatione ad vincula nautica, 153. n. 42.* hoc exaggerat & describit: videlicet, quod quidam aliquod dies & horas in rotâ supervixerint, & locuti fuerint. Potius damus operam, ut ubiq; præcaveatur desperatio. [B] ex dispositione Constit. Carolinae crimin: art. 137. *nach gewonheit etlicher gegend/ werden die fürs festlichen Mörder vnd Todschläger einander gleich mit dem Rade gerichtet.* [C] In constit. crim. Carol. V. art. 131. post prin. vers. *aber darinnen verzweiffelung zuverhüten.* Hæc pœna tamen non habet locum, si de corpore infantis à Matre occisi non constat; ut, quia à suis dicitur devoratus, nec aliud habeatur, quam sola mulieris cōfessio, etiamsi Mater plures infantes peremisse, & porcis devorandos subjecisse fateatur; sed tantum infligitur fustigatio. *Matth. Berlich part. 4. concl. 7. n. 23.* [D] Decollatio novum apud Germanos supplicium est. Nam apud veteres Germanos ii, qui hodiè decollatione plectuntur, communiter occidebantur *mit einem Zwangstuel* *Christ. Besold. de præ. pœn. & leg. disert. 2. cap. 3. n. 6. pag. m. 119.* Apud Italos olim fiebat securi *l. 8. §. 1. ff. de pœn.* Et annotante ibidem Gothofr. securis pœna ignominiosior fuit. Hodiè verò ad decollationem gladius adhibetur, quod longè honestius ducitur. *Lips. in not. ad Tacit. n. 133.* sed æquè ignominiosum nobis videtur, si decollatio in loco famoso, vulgò *vffm Rabenstein* peragatur. per ea, quæ habet *Matt. Coler. decis. 240. n. 3.* [E] Hanc pœnam vetustissimam esse tradit *Joh. Langlæ. l. 10. cap. 4.* In Galliis frequentem ejus usum esse in eos, qui crimen læsæ Majestatis commiserunt, refert *Schönborn. lib. 3. polit. cap. 20. pag. 292.* In Germaniâ adhiberi solet, si quis suum principem & Dominum territorii veneno extinguere, aut proditionibus ei exitium accelerare conatus fuerit. *Chilian. König in practica sua de var. pœn. corpor. pag. 667.*

22. Pœnæ quasi-capitales, & ad mortem proximè accedentes olim fuerunt; aquæ & ignis



ignis interdictio ; deportatio in Insulam,
 damnatio in metallum & in opus metalli
 ad perpetuum &c: (A) Hodiè referuntur
 huc; Bannum Imperiale des Reichs Bann: (B)
 pœna triremium, vulgò vff die Galleen/quæ
 in regno Siciliae, Italiae, Turciae recepta est:
 (C) perpetui carceres: (D) ex communica-
 tio major ; quam vocant den grossen Bann/
 eam hic pœnis merè secularibus recte an-
 numeramus: (E) Quædam servitutis pœnæ
 similitudines ; quæ adhuc in Europâ repe-
 riuntur (F) &c.

[A] Prosper. Farinac. l. 1. tit. 3. q. 19. n. 14. & seqq. ubi etiam ex l. aut
 damnatum. §. inter eos. ff. de pœnis. ostendit aliud fuisse damnationem
 in metallum & in opus metalli. [B] Nam bannum Imperiale succes-
 sit in locum interdictionis aquæ & ignis, quoniam Germanicum
 einen in die Ache oder bann thun nihil aliud est, quam alicui aquâ &
 igni interdicere einem Wasser vnd Weid verbieten/ oder von gemein-
 schaffe vnd brauch Wassers vnd Feuers verbannen. Andr. Gail l. 2.
 c. 1. de pace publ. n. 16. [C] Hæc punitio species vocatur alio no-
 mine relegatio ad ergastula seu vincula nautica, quia in illis da-
 mnati ad remigandum tenentur gravissimis vinculis & catenis. La-
 tini naves istas vocant actuarias seu celoces, quia & remis & velis
 velociter modo huc modo illuc agi possunt. Gallis dicuntur Gallees
 seu Galleres, unde Germanorum Galleen. Idq; juxta Damhoud: in
 prax: crimin: cap. 153. n. 2. non inconvenienter à radice Hebraica
 חֲבֵל circumvolvitur, volutavit, deduci potest, unde descendit nomen
 singularis numeri חֲבֵל quod i. arcervum quemlibet. 2. acervum a-
 quarum, in plurali numero חֲבֵלִים Jes. 48. v. 18. fluctus, quasi aquæ
 revolutiones, notat. Successit hæc pœna triremium ex mente We-
 semb.

657
semb. in parit. ff. ad L. Cornel. de sicar. n. 18. in locum antiquæ depor-
tationis: sed juxta Farinac. l. 1. de delictis & pœn. tit. 3. q. 19. n. 14. in lo-
cum damnationis in metallum, cui nostrum placet adjicere calcu-
lum. Subjectum, cui hæc pœna irrogatur, non solum sunt Laici sed
etiam Clerici. Præcipuè in Italia propter excretam Clericorum ma-
litiæ & petulantiam Clar. in pract. §. fin. q. 67. & §. sentent. q. 70. n. 5.
Excipiuntur autem ab hac pœnâ periti Chirurghi, æquè ac Doctores,
quibus loco condemnationis ad triremes triennalis relegationis
pœna, ad quam aliàs nobiles condemnantur, imponi solet. Petr.
Theod. in coll. crim. th. 4. lit. D. sub quest. 2. Quasi-capitalibus pœnis à
Nobis annumeratur; quia condemnatio ad triremes fere morte na-
turali horribilior, Damboud. dicto cap. n. 45. & in locum damnatio-
nis in metallum, ut modò dictum, successit. [D] sub hoc pœnarum
quasi-capitalium censu veniunt etiam perpetui carceres, Menoch.
de arbitr. Jud. quest. l. 1. quest. 89. n. 3. Quia modò æquiparantur da-
mnationi in metallum Gail. de pace publ. l. 1. c. 1. n. 32. modò perpe-
tuo exilio l. omnes C. de pœn. Tales ad perpetuum in carceratione
malè mulctati minimè debent privari luce, & in per quàm opacis
locis, ubi perpetuæ sunt tenebræ, ætatem degere l. 1. C. de cust. reor.
Meritò etiam humaniter habendi, & molliter tractandi: Ernest. Coth-
man. vol. 3. Respons. Acad. 29. n. 118. & 119. Proinde execrandos quidam
dicunt istos Germanorum carceres, adeò tetros, & squalidos, ut nil
supra; quos adhuc in vetustis arcium ruderibus extare videmus;
qui nihil aliud sunt, quam indicia crudelitatis in antiquis Germa-
nis. Quos qui imitantur, non in puniendis, sed detinendis carcera-
tione mortis reis, sunt deteriores Herode, qui Johannem in carcere
detinebat, ut posset nihilominus à Discipulis visitari. Christoph. Be-
sold. dissert. 2. de præm. pœn. & leg. cap. 4. n. 6. pag. 128. [E] exagitat hoc
Christoph. Besold. In den motiven/warumb Er sich zu der Catholischen
Kirchen begeben c. 5. pag. m. 106. verba ejus hæc sunt: So ist auch die
excommunication bey den Lutheranern nicht üblich. Ja die excom-
municatio major wird dem hoen Weltlichem Regimente zugeeignet/
wie hiervon ein vornehmer Jurist zu Wittenberg Johan Zanger einen
tractat geschrieben. Hic ea, quæ de desuetudine excommunicatio-
nis profert, mittimus, & an apud Reformatos, aut quomodo apud
eos vigeat, prudentioribus disquirendum permittimus; tantum il-



lud reprehendimus, & contrariâ assertionem refellimus, quod majorem excommunicationem pœnam merè secularem esse negat: idq; facimus sequentibus inducti rationibus. (1) Quia procedendi modus omninò redolet punitiōem secularem, & jurisdictionem politicam. Nam quoties pontifex superioribus seculis majoris excommunicationis fulmine usus est contra Reges, Principes, ac Nobiles, tum non solum ipsorum subditos à juramento fidelitatis absolvit; sed etiam in bullis excommunicatoriis subditorum bona & fundos in prædam omnibus proposuit, adeò ut sine ulla aliâ belli denunciatione, aut aperto Marte, aut insidiis licitum fuerit cuivis, illos persequi & capere, vel etiam occidere. Item Regum liberos jure successiōis privavit, ac infames pronunciavit, omnibus nationibus cum excommunicatis commercia interdixit, aliorum Regum ac populorum cum illis fœdera irrita pronunciavit, excommunicatos denique sepultura Christianâ privavit, uti ex bullâ Pauli III. in Henricum Angliæ Regem & Sixti V. in Henricum Regem Navarrum liquidò apparet. Quid igitur est, si hoc non est secularem infligere pœnam. *Gerhard. tom. 6. de Magistr. Polit. n. 209. pag. 868.* (2) Quia excommunicatio major æquiparatur relegationi & deportationi: *Farinac. l. 1. tit. 3. q. 19. n. 41.* & sæpius imponitur cum confiscatione bonorum. At pœnam relegationis & deportationis cum confiscatione bonorum irrogare, est Magistratus politici. E. & excommunicationis majoris animadversio erit Magistratus politici. (3) Idem asseritur in articulis Smalcaldicis *part. 3. tit. 9.* ubi hæc habentur verba; *den grossen Ban / wie es der Babst nennet / halten wir für eine lautere Weltliche straffe.* [F] Pœnæ servi erant apud Romanos, qui sententiâ dictâ statim servi fiebant. Idq; contingebat variis de causis, quarum nonnullas exprimit *Libentib. exercit. 3. coll. polit. n. 39.* Hodie similitudinem quandam hujus servitutis pœnæ multis in locis remansisse videmus. Sic in Germaniâ publici carceres *die Schuldhürme* / non custodia, sed pœna sunt, *Hering. de Fidejuss. cap. 6. n. 264.* faciuntq; debitores, qui dolo malo facti sunt non solvendo, servos pœnæ, ut ad operas & servitia creditori præstanda teneantur, illaq; pro creditoris arbitrio in compedibus & vinculis subire cogantur; aut diutinâ incarceratione in pœnam detineantur, pro quâ singulis diebus de debito aliquid imminua-

imminuatur. *Colerus decis. 134. n. 38. & seqq. & decis. 135. per tot. Petr. Heig. part. 1. q. 35. n. 38 Matth. Berlich. part. 2. conclus. practicab. 28. n. 16. & seqq.* Eodem modo servi poenae fiunt tali casu; si Judex non habens certum & deputatum carnificem, velit capere unum de carceratis, qui fortè erat condemnatus ad mortem, tum poenam remittens, eum compellere & condemnare potest, ut sit perpetuus carnifex. *Robert. Marant. part. 6. distinct. de executione sententiae. n. 25.*

23. Hic placet, circa materiam de servitutibus poenae quaestionem inserere politicam; num Germanorum Reipubl, magis conduceret, si servitutem poenae, itidem quae fit captivitate & nativitate retinuisent, quam quod ejus desuetudinem admisserint, & utra conditio sit pensior? Respond: melius fore putamus, si moderatam adhuc hodie haberemus servitutem, quam quod tale sit conditionis servilis laxamentum, quale jam cernitur passim.

Et si Germani veros servos non habuerunt, teste *Cornelio Tacito* in historiâ de morib. Germanorum: attamen eos Romanorum milites, quos abduxerunt captivos, servilibus operis addixisse, haud obscure liquet ex *Senecae* verbis quae habentur in epistola 47. h. m. *In Varianâ clade multos splendidissimè natos, senatorium gradum per militiam auspicientes, fortuna depressit, ex quibus alium pastorem, alium custodem case fecerunt Germani.* Parili ratione colligere licet, quod ex gente Sclavonicâ, cum quibus assiduè bella gerant, aliquos fecerint servos, cum in servitutem redactos legimus istos, qui ex praelio à Clodovæo Francorum Rege commisso erant superstites & captivi. *Hospinian. de origine Monachorum l. 4. c. 24.*



c. 24. Proinde quasdam Romanæ servitutis species apud veteres Germanos quodammodo viguisse non facile negabitur. Nam procul dubio istos captivos eodem habuerunt jure, quo hodiè Hispani Afros, & Turcas habent. Atque hinc ex hisce bellis, adversus Romanos & Sclavonicam gentem gestis, hodiè multis in provinciis reliquos esse rusticos istos, qui ad servilem coloniarum conditionem quam maximè accedunt, putat *Heigius ad Instit. l. 1. tit. 8. §. sed & major asperitas. n. 20. pag. mibi 44.* vel ut differit *Hufanus in tract. de hom. propr.* inde orti sunt homines proprii, à Germanis dicti *die Leibeigene*. Quos Germanorum servos anonymos vocat *Gail de pignorat. observ. §. n. 4.* Siquidem in omnibus cum Romanorum servis aut glebæ ascriptis colonis non conveniunt; sed in multis istorum & similium conditionem imitantur. Ita quibusdam in locis Dominus ad instar antiquorum Romanorum illis hominibus propriis in totum vel in parte succedit. *Mynsing. cent. 2. obs. 23.* Verum quia horum hominum non ubivis per totam Germaniam; sed tantum quibusdam in locis cernitur usus, antiquam servitutem penitus ferè sublatam esse, affirmare licet. Quod ipsum minus laudandum, & servitutem clementia temperatam, ac Apostolis probatam, si reparari possit, longe præferendam ducimus ejusmodi servilis conditionis abolitioni. Quoniam (1) servitus personæ omni jure, etiam divino, justa. *Bocer: in tract. de bello & duello cap. 15. n. 4. & 5.* (2.) Quia hoc magis faceret ad publicam utilitatem, ne ob abolitionem servitutis tot robusti mendicantes sine lare & sine fide viverent, tot fures, tot latrones, *ἀεργοί & ἠνεργόληται* reperirentur. Nam cum tempore Constantini Magni Pontifices de manumittendis servis invicem certarent, & amore religionis servos manumittendos statuerent, tanta statim aborta est mendicorum copia, ut non longè post Imperatores intercessionem pontificum coacti fuerint, ædificare nosocomia, Xenodochia & id genus alia hospitia, quo isti, qui ex propria ingenii industria se nutrire nesciebant, eleemosynis alerentur. Imò temporis progressu Imperator Valens edicto publico vetuit, ne quisquam otiosus mendicus ostiatim stipem quæreret, sed servituti addiceretur. *Bodin. l. 1. de Republ. c. 5.* Eadem de causâ videtur adductus Carol. V. quod in emendationem tot ociosorum nebulonum

num salubria Reipubl. edicta de vagabundis & validis mendicanti-
 bus promulgaverit, referente *Dambonderio in pra. crim. cap. 112. n. 58.*
 & *cap. 153. n. 50.* imò etiam, cum hi validi mendici plerumque sint
 fures, in eorum terrorem constituerit asperrimam furti poenam.
 Et Senatusconsulto Parisiensi An. 1532. mendicantes validi, fossis
 urbium, viisq; purgandis addicti sunt. *Godofred. ad Novell. 80. c. 5.*
lit. o. Quandoquidem ferendum non est, ut mendicitas aliquos in
 publicum questum vocet. *l. un. C. de mend. valid. (3)* Magis in rem
 privatorum fuisset, si ejusmodi servitutes in Regnis Christiani Or-
 bis in usu mansissent. Quippe per servos privatorum conditio
 non deterior, sed melior fieret, *l. melior conditio. 133. ff. de D. R. I.*
 Equidem ad servitutum si qui damnati, ii cogi possunt à patribus-
 familias, ut omnia fidelissimè administrarent, & singula, quæ sibi à
 Dominis injuncta sunt, dent curatum, nisi tergum verberibus sub-
 dere, & plagipatidæ esse velint. At hodierni servi pretio condu-
 cti, vel Dominos ludibrio habere audent, si mercede aut cibo il-
 lorum ingluviem non satis impleverint, unde *Lutherus tom. 4. fol.*
15. dicit: es were schier besser/das die Knechte leibeigen weren/kan son-
sten/das gefinde doch niemand zwingen oder zähmen. (4) Exempla
 multarum Reipubl, in quibus servitus talis adhuc habetur,
 comprobant, servitutum poenæ & aliorum generum plurimis mo-
 dis prodesse, attestante *Busbequio; qui in epistola 3. Turcas servitutes*
retinentes, cum nostris, qui eas abolent, conferens, ita scribit: Nescio an
optimè rebus nostris consuluerit, qui servitutes primus sustulit: Si enim
justa & clemens, & qualem ll. Romanae prescribunt, servitus maneret,
non tam crucibus & patibulis opus esset, ad coërcendos eos, quibus pra-
ter libertatem nihil est, nisi egestas, quæ eos ad patrandum scelus impellit.
 Atque hi sunt, quibus nostra assertio nititur tibicinibus, quàm si
 in conflictu urgebimur, fortioribus corroborare studebimus argu-
 mentis.

24. Poenæ tertii ordinis, ad existimatio-
 nem & famam pertinentes, propter cor-
 poralem punitionem vel damnum cum
 infamiâ, dicuntur: membri abscissio, (A)
 F fusti-



fustigatio; (B) condemnatio ad numellas
publicas seu statuas famosas; vulgò *am
Pranger*; (C) poena mitræ; (D) relegatio;
(E) &c.

[A] Per membrum hoc loco cum *Aristotele 3. Meteor. circa fin.*
intelligimus omne id, quod in corpore nostro distinctam habet
operationem. Quamobrem digitus propriè membrum dici ne-
quit, cum non habeat distinctam corporis operationem, & con-
sequenter resectio digiti, per statutum, irrogans membri ampu-
tationem, imponi nequit. Verum sub membri abscissione con-
tinetur, exclusio oculi, pedis, linguæ, auris, nasi, manus alterius
amputatio &c. Et licet de jure Digestorum hæc amputationis pœ-
na hæud fuerit in usu. *Farinac. l. 1. tit. 3. q. 19. n. 25.* tamen hodiè
multis in locis frequentatur. Sic in Imperio Germanico-Ro-
mano manus abscinditur quandoq; relegato, si ante tempus præ-
finitum redierit. *Matth. Berlich: part. 5. conclus: practic. 72. n. 17.*
Item amputatione manus punitur Notarius aut scriba, si falsa
scripserit, & quibus princeps aliquid consequeretur incommodi &
præjudicii: *Damboud: in prax: rer. crim. cap. 124. n. 7. & 8.* Plures ca-
sus in quibus manus amputatio irrogari solet, summatim exposuit
Farinac: de delict. & pœn: q. 19. n. 2. 6. Quod reliquas partes attinet,
communiter illud membrum, quo commissum est delictum, solet
amputari, quando statutum amputationis pœnam imponit, non
expresso membro, quod amputari debebat. *Farinac. l. d. n. 25.*
[B] fustigatio hodiè multum frequens est, & nunquam non in-
famat. *Farinac: l. d. n. 29.* [C] Hoc genus pœnæ in dedecus & infa-
miam personarum adhibetur. *Matth: Coler: Decis: 240. n. 1. & seqq:*
Erectio verò talium signorum ad superiorem spectat. Quare Se-
natus, vel Nobilis, superiorem jurisdictionem & jus patronatus
habens, sine consensu Consistorii Ecclesiastici ejusmodi palos nu-
mellarum vel cætenas, quibus innodati delinquentes consistunt,
vulgo *die Halsseisen* / in cœmiteriis erigendi, eorumque muris affi-
gendi potestatem rectè usurpare possunt. *Petr. Theodor. in coll. crim:
d. 10, th. 5. lit. a. q. 1.* [D] ista pœna non adeò usitata est, apud Germa-
nos

660

nos. In Italiâ verò satis recepta. Sic apud Mediolanens. falsarii, mitrâ de honestati, in publicum producentur. *Menoch. de A. J. 2. l. 1. q. 80. n. 77. & 78.* [E] Relegationis apud principes Germaniæ frequens est usus. Ubi tamen relegatus ab uno Electore, minimè relegatus censetur in alterius Electoris territorio. *Matth. Berlich. part. 5. conclus. 71. n. 3. & seqq.* Nec studiosus ab Academiis relegatus, à tota provincia vel territorio relegatus censetur, adeò, ut relegatus alibi etiam ad honores admittatur. *Idem Berlich. l. d. n. 19. & 24.*

25. Hic de pœna relegationis differentes, ansam capere possumus proponendi quæstionem politicam: An talis relegatio, qualis passim per Germaniam recepta, & quam exilium, vulgò die *Landsverweisung* vocant, Reipubl. ex usu esse possit? Respon: nisi singularis quædam adhibeatur cautela, (A) nostrâ opinione non adeò conducet Reipubl. (B)

[A] Cautelam subjicit *Petr. Mart. Vermilius ad l. 1. Reg. circa finem, & in locis communib. class. 4. cap. 14. n. 50. pag. mibi. 931.* ubi suadet, ne relegati exules mittantur ad alios, apud quos deteriores sunt, eosq; minus honestâ vitâ & moribus offendant, sed ut ad certa loca intra fines ditionis, Magistratui releganti subjectæ, certis cautionibus & severâ inspectione detineantur. [B] sentit idem *Dn. Theod. Reinking. l. 2. cl. 1. cap. 8. n. 17, 18. & seqq.*

26. Non-capitales pœnæ sunt: quando quis sine infamiâ damnum aut corporis coërcitionem sentit, & neque vitam, neq; civitatem, neque libertatem amittit; nec

F 2 pœnâ



poenâ proximè ad mortem accedente pu-
nitus esse dici potest. Tales sunt : poenæ
conjectionis in carcerem ad tempus; (A) er-
gasteria, seu domus disciplinares; (B) poena
pecuniaria; (C) confiscatio bonorum &c.
minimè verò excommunicatio minor in
horum censum venit. (E)

[A] Sic in Germaniâ solet esse carcer' obœdientiarum super
portis vel locis eminentioribus, in quibus aër pervius, & lumen ha-
beri potest; In istos delinquentes ad dies aut menses aliquot com-
pingere assolent. *Johan. Koppen decis. 29. n. 20. vers. in civitatibus
enim Germaniæ.* [B] receptæ sunt ejusmodi domus disciplinares,
vulgò die *Zuchthäuser* / in quibusdam emporiis, utpote Hamburgi
& Bremæ. Et quæ earum sit utilitas, res ipsa loquitur. Eam
tamen verbis insinuatam videas apud *Theod. Reinkingk l. 2. cl. 1. c. 7.
per tot.* Analogon aliquod ejusmodi disciplinarium domorum
pro pauperum puellis adornatum, commemorat *Damboud. c. 102.
n. 59.* Quod si id pari ratione in Germanis provinciis institui posset,
ut pauperum puelli, puellæve, quæ platearum feces esse solent, ad
ergasteriâ ejusmodi abriperentur, immane, quantum utilitatis
hoc conferre posset Reipubl. [C] poena pecuniaria, jure proba-
tur. *l. fin. ff. de in jus vocand. l. 1. §. fin. ff. de poen. l. quicumq; §. quod si
predicta. C. de servis fugitiv.* Et hæc ipsa poena pecuniaria loco cor-
poralis poenæ imposita, meri imperii est. *Peinliche Halsgericht
Ordenung. art. 157. junct. l. ult. §. fin. C. de mod. mult.* vice versâ
poena pecuniaria à principe certis casibus in corporalem mutari
potest: utpote si debitor inopiâ pressus, filio poenam pecuniariam
deferre nēquit, tunc Judex pro arbitrio suo poenam illam pecu-
nariam in corporalem commutare potest. *Menoch. de arbitr. Jud.
Quest. cas. 447. n. 5.* ubi in sequentibus plures adfert casus. Ordi-
nariè autem locum habet regula; qui non habet in aere, luat in cor-
pore, quoties poenæ ex delicto vel quasi descendunt: secus in de-
bito

bito descendente ex contractu vel quasi. Debitor enim iste ex contractu non habens in bonis, unde solvere possit debitum, non luit in corpus, sed admittitur ad cessionem bonorum juxta *l. 1. § per tot. t. ff. § C. de cessione bonorum*. Nisi debitor fuerit dolosus & fraudulentus decoctor, qui non vitio fortunæ, sed sua culpa ad paupertatem devenit. *Farinac. l. 1. tit. 3. q. 26. n. 26. § seqq. [D]* Licet multi Dd. Itali asserant hodiè per totum mundum, excepto casu criminis læsæ Majestatis, abolitam esse confiscationem, tamen complures insuper casus præter crimen læsæ Majestatis, in quibus publicatio bonorum adhuc obtinet, reperiri statuimus, per verba constitut: Carol. V. criminalis in art. 218. *und sonsten in andern fällen*: quorum casuum exempla ex jure communi adducit *Heig. part. 2. q. 33. n. 52*. Et apud Saxones atque Gallos hodiè servari confiscationem; testatur *Wesembec. in par. de bon. damnat. n. 6. § Bachov. ibid. in not.* Jus autem confiscandi, quinam habeant, non nihil disceptatur. Et veritati magis congruit, si dicimus, quod bonorum publicatio sit meri imperii, & hoc jus tantum habeant principes, & Domini superiorem non recognoscentes; *Gilhaus. in arb. crim. cap. i. n. 107.* non vero inferiores Magistratus. Quare hi absque superiorum jussu bona publicare nequeunt. *l. un. C. ne sine jussu princip.* Sed hic distinctionem adhibet *Jac. Menoch. de A. J. Q. l. 1. q. 93. n. 3.* scilicet quod confiscatio bonorum sit vel à Lege, ob causam aliquam expressè vel tacite iudicam: vel quæ nec tacite nec expressè lege indicitur: Hanc, inquit, solus superior imponit; sed istam etiam principe inconsulto inferior. Verum enim verò hæc distinctio nostram assertionem haud infringit, quâ statuitur, quod confiscatio sit meri imperii; quoniam inferiores magistratus non nisi ex privilegio & immemorialis temporis præscriptione, & non vigore usurpationis summi imperii bonorum publicationem irrogare possunt. Et fieri potest ut princeps inferiori Magistratui cumulativè concedat merum imperium; sed ipse sibi retinet summum imperium. Ita civitates Germaniæ *die Keyserliche frey Reichsstädte* habent quidem merum, sed non summum imperium quod penes Cæsar. Majestat. residere oportet. Et has civitates publicationem bonorum sæpè usurpasse, est in aprico. *Wesemb. in parat. ff. de jure fisci. n. 6.* Atque sic jus confiscandi usurpare



quidem possunt dependentes & inferiores Magistratus, sed non nisi ex concessione: originaliter verò spectabit hoc ad principem summum imperium habentem, & neminem superiorem recognoscentem. Quare falsum erit, quod ex opinione Menochii inferior inconsulto principe ob causam à lege expressè vel tacitè indictam bonorum publicationem imponere possit. [E] Est enim merè spiritualis & Ecclesiastica censura, quà nulla major in Ecclesià datur *caus. 24. q. 3. c. corripiantur.*

27. Illicita pœnarum genera sunt: stigma in facie; (A) utriusque manus abscissio; (B) pœna excœcationis; (C) pœna inedix (D) &c.

[A] *Per text: l. si quis in metallum 17. C. de pœnis.* Secus esse de jure Saxonico docet *Matth. Colerus decis. 160. n. 2.* Verum de jure Saxonico relegatis & deportatis hodiè non inuri aliquod signum in facie testatur in contrarium *Matth. Berlich. part 5. concl. 71. circa fin.* Rationem decidendi, quam communiter solent adferre, scilicet quod propterea hominis facies stigmatè non sit notanda, quia ad imaginem DEI condita, erudite exagitat & incongruam dicit *Dn. Reinkingk. de Reg. secul. & Eccles. l. 2. cl. 1. cap. 8. n. 9, 10. & seqq.* [B] *Auth. sed novo jure. C. de servis fugitiv. Everhard. à Middelburg Loc. 26. n. 6.* [C] *Camerar. 3. medit. fol 317.* [D] *Gothofred. in not. ad l. 10. ff. de interd. & releg. lit. q.*

28. Pœnas Magistratus exequatur juxta legum ductum; (A) Et licet quandoq; justà de causâ graviorem imponere possit pœnam, quam leges, aut statuta exigunt; (B) attamen cautè agendum, ne quid durius aut remissius constituatur, quam personarum conditio, aut rerum qualitas postulat;

stulati

stulat; (C) Proinde si delictum est pauco-
rum, proportione utatur mixtâ: geome-
tricâ scilicet, aut arithmeticâ pro habitu-
dine circumstantiarum; (D) si verò deli-
ctum est multorum, ut si tota militum
manus, manipulus civium, rusticorum, &c.
deliquerit, animadvertat sortitione. (E)

[A] Etenim pœnæ persecutio, ut ait Papinianus, judicantis
voluntati non mandatur, sed legis auctoritati reservatur. *l. 1. §. 4. ff.
ad Sctum Turp.* [B] *l. quid ergo 13. §. pen. ff. de his qui notantur in-
fam. & l. perspicendum. 11. in pr. ff. de pœn. & Gothofr. ad utrumque
textum in not.* [C] *l. pedius. 4. §. 1. in fin. ff. de incend. ru. nauif. nav.
expug. l. perspicendum. 11. ff. de pœn.* [D] *Libenth. in colleg. Eth. exer-
cit. 14. q. 10. Bachovius in not. ad parat. Wesemb. in tit. D. de just. & jure
n. 21. & in not. ad tit. de pœn. n. 5.* [E] juxta *Ciceronem pro cluen:* hæc
proferentem: statuerunt ita majores nostri, ut si à multis flagitium
rei militaris esset admissum, sortitione in quosdam animadverte-
retur, ut metus ad omnes, pœna ad paucos perveniret. *Gail. l. 2. de
pace publ. cap. 9. n. ultim. Johan. Gerhard. tom. 6. de Magist. polit. n. 311.
pag. 1038.*

29. Sed si delictum est totius multitu-
dinis, seu communitatis; ut, si tota civitas,
vel universitas deliquerit, (A) sæpius pœ-
na imponi solet pecuniaria: (B) aut etiam
pro gravitate delicti, bonorum publicatio;
(C) murorum dejectio; (D) privilegiorum
ademptio; (E) infamiæ notatio; (F) aratri
inductio, & panoletria. (G)

[A] Univer-



[A] Universitatem posse delinquere, quod alioquin permulti eunt inficias, probamus per text: in *l. metum §. animadvertendum. ff. quod metus causa*. Ubi de universitate dicitur, quod possit inferre metum; ergo per consequens etiam potest delinquere, cum illicita metus illatio non possit non involvere delictum, tot. tit. ff. & *Cod. quod metus causa*. Item per textum in *l. si usufructus. ff. quibus modis usufruct. am.* ubi civitas potest puniri: ergo præsupponitur delictum, quippe poena non est, ubi non est delictum. *l. sancimus. C. de poen Mysing. cent. 4. observ. 78. per tot Gail. de pace publ. l. 2. obs. 9 n. 2. & 5.* At deliquisse non dicemus civitatem, si soli consules vel regentes delictum aliquod admiserint, *Bruning. de var. universitat. speciebus. thes. 96.* [B] Nam propter innocentes pupillos, minores, foeminas prægnantes, nascituros infantes, qui tempore delicti admisi non extiterunt in rerum naturâ; sed tempore condemnationis & lætæ sententiæ primùm nati sunt, justissimâ ex causâ poena corporalis in universitate frequentius commutatur in pecuniariam. *Farinac: q. 24. n. 115. Gail. de pace publ. l. 2. c. 9. n. 17.* [C] *Guolfgang. Jacob. Satlerus de jure universitat. conclus. 14. lit. c.* [D] *Proß; Farinac: lib. 1. tit. 3. q. 24. n. 126.* [E] *Gail. de pac. publ. l. 2. c. 9. n. 27. Farinac. l. d. n. 123.* [F] Negat hoc *Farinac. l. d. n. 116. Julius Clarus*, quem ibi vide sis citatum. sed si perpendo ea, quæ *Ærodius rer. judicatar. lib. 7. tit. ult. cap. 32.* refert de Brutis hoc modo: Cum Annibal poenus cum exercitu in Italiâ esset, & populus Romanus aliquot pugnas adversas pugnasset; primi totius Italiæ, Brutii ad Hannibalem desciverunt. Id Romani ægrè passi, postquam Hannibal Italiâ discessit, Brutios ignominia causa non milites scribi, nec pro sociis haberi; sed Magistratibus in provincias euntibus parere, ac præministrare servorum vice, decreverunt. Idem & adversus Picentes, & Lucanos observatum, viatorumq; & tabellariorum vice eos habere placuit. Et quæ ex historiarum monumentis de Westphalis memoria proderè audeat *Libenthal in Colleg. Polit. exercit. 3. th. 46.* quod ob reiteratas defectiones à Carolo Magno in servitutem condemnati, & adeò contemptim ac ignominiosè habiti sint, ut in civitatibus inferioris Saxonie non poterint recipi cives; tum hæc exempla obstant, quo minus animum inducere possim, ut Farinacii negativæ assurgam. [F] Siquidem & jure divino

663
divino ob idolomaniam civitatum panoletria comprobata legi-
tur cap. 13. v. 12. & seq. Deutronom: & in profanis exempla prostant
passim. Farinac: d.l. n. 120. Gail. dicto libr. n. 28.

30 Pœna semel lata post condemna-
tionem à Magistratu inferiore mutari ne-
quit. (A) Quamobrem in pœnis extraordi-
nariis seu arbitrariis, quæ scilicet, quoniam
ex ll. seu statutis certæ non sunt, Judicis
arbitrio relinquuntur, (B) circumspe-
ctum se gerat, & eas in ipsa sententiâ decer-
nat, absque speciali expressione causæ, cur
pœnam exasperaverit, vel mitigaverit. (C)
Siquidem ipsi licet, pro delicti atrocitate
& ratione circumstantiarum ad mortem
naturalem usque extendere pœnam ex-
traordinariam. (D) Quod si verò contige-
rit, ut non satis commodam proferre pos-
sit causam, in easdem, quas aliis injuste irro-
gavit, incurret pœnas. (E)

[A] *l. acta. 45. §. 1. ff. de re jud. l. 1. §. fin. ff. de quest.* [B] *l. hodie. 13. ff. de
pœn. l. 1. §. expilatores in fin. ff. de effractorib. & expilatorib.* [C] *sufficit e-
nim generaliter causas animum suum moventibus expresserit, ne
viam sententiam suam impugnandi aperiat. l. 11. ff. de pœn. Gail. de
pp. l. 2. c. 9. n. 23. Myns. cent. 2. observ. 30.* [D] *l. 9. ff. de extraord. crim.
l. 7. §. 3. ff. ad L. Jul. repet. ordinat. crimin. art. 10, art. 112. Schnei-
dew. ad S. in summa. 10. Instit. de injur. n. 7. pag. 1077. Prosp. Farin. l. 1. tit. 3.
q. 17. n. 34. Jodoc. Damhoud. in prax. crim. c. 105. n. 5. Hackelm: illustr. quest.
dec. 24. th. 20.* [E] *l. fin. C. ne sanct. baptisma itere. Farin. q. 17. n. 6.*

G

31. De



31. De principe autem verum est, quod etiam vel ante vel post latam sententiam ex plenitudine potestatis (A) istis delictis veniam indulgere possit, quibus alioquin legibus divinis certæ capitales pœnæ constitutæ non sunt. (B) Quod eodem modo de statibus Imperii dicere possumus. (C)

[A] *l. relegati. 4. in fin. l. moris est. 9. §. ista fere 11. & l. ad bestias. 31. ff. de pœn. l. cum salutatus. l. cum indulgentiâ. 10. C. de sentent. pass. & restit. Antont. Tessaure. decis. 21. per tot.* [B] *Dominic. Arumæ. vol. 2. disc. Acad. de J. P. 17. th. 39. pag. m. 559. & disp. 7. th. 5. n. 7. post quæst. 1. pag. 122. Limnæus de J. P. l. 4. c. 8. n. 268. 269. 270. 277. & seqq. Arnisæ. l. 1. polit. 6. Dana. l. 6. polit. Christ. tit. de Jud. crim. Job. Gerhardi tom. 6. de Magistr. polit. n. 308. & 309. pag. 1034.* [C] utpote qui ab Imp̃: ejusmodi Regalibus perpetuò sunt investiti; ut tantum potestatis habeant in suis ditionibus, quantum Imperator in Imperio. *Theod. Reinkingk. l. 1. cl. 5. c. 6. per tot. & in primis n. 27. & seqq.* Hinc Electores dicuntur pars corporis Cæsaris *Petr. Heig. part. 2. q. 22. n. 31. & seq.*

32. Cæterùm in distribuendarum pœnarum observando moderamine septem circumstantiæ lege civili jubentur respici: (A) Nos hanc materiã quoad potiores controversias saltuatim tractare intendentes, singulas circumstantias prolixè & explicatè tradere super sedemus, & circa causas, quæ à Dd. pæssim cumulãtur, (B) uti etiam circa reliquas circumstantias, pro lubitu quædam sumemus.

[A] *l. aut*



[A] *l. aut fact. 16. §. 2. D. de pœn.* [B] *Andr. Gail. de pace publ. l. 2. cap. 9. n. 24.* sed præter bi enumeratas pœnam commutandi, & mitigandi causas adhuc quasdam residuas esse statuimus: ut est spontanea confessio. *cap. non dicatis. 12. q. 1. sociorum criminis manifestatio. Petr. Heig. part. 21. 32. n. 34. & seqq.* Defectus probationis per torturam sustentam. *arinc. q. 40. n. 11. 12, 13. & seqq.* intercessio mariti pro uxore adulterante. *Coler. decis. 176. n. 15, 16. & seq.* & quæ aliæ apud Dd. occurrunt pœnarum mitigandar. causæ.

33. Si ex voluntate delictum commissum est, non sufficit actus voluntatis internus, seu elicita voluntas; sed imperata, quæ per actum exteriorem maleficio proximum declaratur. (A) At secus est in atrocissimis delictis; (B) ut a assassinatus, (C) & raptus sacrarum virginum; (D) in quibus & interna voluntas punitur.

[A] *l. cogitationum. 18. ff. de pœn. l. 1. in fin. ff. quod quisq. jur. in al. stat.* [B] *l. quisquis. C. ad L. Jul. Majest.* [C] Assassinus enim est, non solum qui internecionem alterius attentavit; sed etiam qui mercede ad id conductus est, licet nihil ampliùs fecerit. *Damboud: prax. crim. c. 83. n. 7, & seqq.* [D] *l. si quis. 5. C. de Episc. & Cler.*

34. Si ex dolo malo & proæresi quis maleficio commiserit, prorsus nullam meretur excusationem ad evitandam ordinariam pœnam; (A) Verum quia à dolo credulitas, opinio, & causa quælibet, etiam levis & injusta excusat, (B) oportet dolum
G 2 pro-



probari; (C) qui si modo est præsumptus
mitius punitur quam verus. (D)

[A] *l. i. l. Divus. l. penultim. ff. ad L. Cornel. de sicar. 11. & seqq. C. eodem.* [B] *l. 12. §. 1. 2. & 3. ff. de liberali causa. l. 6. in princ. de acqui- rend. possess. l. 14. plagii criminis. C. ad L. Fabiam de plag. & Gothofr. ibid. in not. ad lit. k.* [C] *l. dolum. 6. C. de dolo malo. l. quovies. 18. §. qui dolo. ff. de probat. & præsumpt.* [D] *arg. l. absentem. ff. de pen. l. fin. C. de probat. Farinac. l. 3. q. 87. n. 4. & 68.*

35. Pari ratione iracundiæ calor ex ju-
sto dolore ortus in patre, & marito, filiam,
vel uxorem in adulterio deprehensam, in-
terficiendo, pœnas aut planè tollit aut miti-
gat. (A) Debitis observatis requisitis (B)
penitus ab omni pœnâ; (C) iis verò negle-
ctis ab ordinariâ pœnâ liberat. (D) Quòd
si verò quispiam leviori aliquâ causâ, vel vi-
tio naturæ commotus homicidium aut a-
liud aliquod delictum committeret, ordi-
nariam pœnam non effugiet, licet irâ ad-
huc fervescente maleficium perpetrasset,
(E) & postea ipsum facti poeniteret. (F.)

[A] *per l. si adulter. 38. §. Imperator. 8. ff. ad L. Jul. de Adult. ubi dicitur Divum Pium rescripsisse, quod difficilimum sit justum do- lorem temperare. quam ob causam pro ratione personæ occisæ pœna alteranda venit.* [B] *Requisita in patre, ut mœchum filiaë impune occidere possit, à Damhouderio in prax. rer. crim. cap. 91. n. 25. usq. ad n. 29. traduntur hæc: 1. ut ambos in actu adulterii com- periat. 2. ambos comperiat domi suæ vel generi. 3. utrumque*

occi-

occidat. 4. Filiam habeat in sua potestate. 5. Filia nupta sit marito. Eadem hæc attendenda monet *Gilbaus. in arb. crim. cap. 2. tit 18. n. 18.* Requisita in marito, ut privatam vindictam impunè exerceat, à Dd. adferuntur duo. 1. ut mœchus sit vilis persona, in propriâ domo cum uxore deprehensa. *per l. 24. marito quoq. ff. Ad L. Jul. de Adult. 2.* ut maritus suspectum de adulterio trinâ denunciatione moneat. *auth. si quis ei. C. Ad L. Jul. de adult.* Hoc tamen casu (licet quoad cætera impunis sit) lucrum obventuræ dotis amittit. *Coler. decis. 176. n. 46.* Verum ut ut hæc à Dd. circumferuntur requisita, nos tamen arbitramur, Viro germano sanguine creto indignum esse hæc semper attentis oculis respicere. Faciant hoc aliæ nationes, apud quas non adeò flagitiosum ducitur alienum polluisse torum, uti *Damboud. c 92. n. 8, 9, & 10.* talia exempla refert. Nos Germani laudem tueamur, quam vetustissimus scriptor Tacitus Nobis tribuit in libello de mörib. German. pag. m. 702. Quamobrem Nobis licitum sit, omnes, qui nostras uxores subagitare aggrediuntur, fustibus, gladio & nullis non obviis instrumentis ad necem usque ferire, & in ipso venereo actu miserè trucidare. Ad quod obtinendum faciunt illa, quibus *Gilbaus. l. d. numerum 1.* concludit hoc modo: *Zasius & Duarenus* ajunt, notissimâ Germaniæ consuetudine reddi maritum impunem, qui adulteram occidit, dotemq; nihilominus ex pacto lucrifacere. *Theod. Petreus in thesaur. controvers. conclus. crim. conclus. 99. in fin. [C] l. patri. 20. ff. ad L. Jul. de Adult. l. Grach. 4. C. eod. [D] l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de Adult. [E] P. N. D. Carol. V. art. 137. verba. Der eimen Todschlag auß gächheit/ oder Zorn gethan. Andr. Gail. observ. 110. n. 35. Anton. Thesaur. decis. 178. n. 1. 4, 5. & 6. [F] arg. l. 65. ff. de furtis, ubi dicitur, quod nemo pœnitentiâ sua nocens esse desinat. & arg. l. penult. ff. vi bonor. raptor. Interim non impugnamus, pœnitentiam supervenientem nonnunquam pœnas delictorum mitigare; modò delictum inceptum nondum peractus proximiores sit consummarum, & delinquens sponte desistat, *arg. l. 19. ff. de L. Cornel. de fals.**

36. Si ebrietas causa delicti extiterit, tum ebrium in summo ebrietatis gradu constitu-

G 3 stitu-



stitutum, & non affectatè ebrium; (A) præfertim si antehac in ebrietate non solitus est rixari, vel delinquere; (B) adeòquè videatur non ex proposito, sed magis ex impetu quodam, vires vini ignorans, peccasse; (C) in delictis, potissimum levioribus, modo post edormitam crapulam eum facti pœnituerit; (D) ex arbitrio iudicis benigniùs puniendum statuimus (E) Ebriosum verò, qui ex habitu sciens prudensq; inebriatur, & in ebrietate consueverit esse rixosus, ordinariâ pœnâ teneri defendemus. (F)

[A] Ebrietatem hoc loco intelligimus talem, quæ rationis exilium inducit, ut dicitur *in cap. à crapula. 14. X. de vita & honest. Clericor.* & quæ summa ac enormis est ebrietas. *Damboud. in prax. crim. cap. 86. n. 19.* Non vero quæ levis & affectata. *Menoch. de A. J. Q. l. 2. q. 326. n. 7. 8. & seqq.* Ideoq; immodica & enormis ejusmodi ebrietas, ut iudici de eâ constare possit, debet probari per testes dicti sui firmas rationes proferentes. *Prosp. Farin. q. crim. 93. n. 25. & 26. Item l. 3. de testib. lib. 7. q. crim. 70. n. 59.* [B] Nam si ebrius consueverit esse rixosus, & excitare turbas, sciatq; se ebrium tali vitio laborare, ebrietas censetur destinata ad casum, magisque aggravat delictum, *Andr. Gail. l. 2. obs. 110. n. 29. Theod. Reinkingk. l. 2. cl. 1. c. 8. n. 47.* [C] videatur ex impetu quodam peccasse juxta *l. omne delictum. 6. §. 7. vers. per vinum. junctâ l. perspicendum. §. delinquitur. ff. de pœn. siquidem ebrius furioso, qui sæpius impetu peccare solet, comparatur, c. venter. 5. distinct. 35.* Etiam videatur peccasse ignorans. Quia cerebrum ita oportet profunda ebrietate sit oppletum, ut ebrius ignoranti, & nescienti, *exc. sane. caus. 15. q. 1.* commodè comparari

parari possit. [D] Prosp. Farinac. *de pœn. temp.* q. 93. n. 22. Menoch. *de A. J.* Q. l. 2. cent. 4. cas. 326. n. 10. *Arumæ. exer:* 2. th. 9. [E] *l. un. C. si quis Imperatori maled.* l. 12. in fin. ff. *de cust. & exhib. reor.* l. 11. §. 2. *vers. impetu autem.* ff. *de pœn. can. inebriaverunt.* c. 15. q. 1. Hackelmann. *illustr. controu.* d. 27. th. 14. & d. 24. th. 9. lit. b. Farin. q. 93. *per tot.* Reinking. *l. d.* n. 43. 44. 45. & seqq. [F] Gail. *l. 2. observ.* 110. n. 27. & 29 Damhoud. *in prax: crim: cap.* 6. n. 20.

37. personarum in dignitate constitutarum, (A) ut Nobilium, (B) Doctorum, (C) Consiliariorum, (D) Militum, (E) &c. in pœnis irrogandis habeatur respectus, ut mitiùs puniantur, quàm alii, si dignitas non auget delictum; (F) nec pœna est corporalis uniformiter, indeterminate, indistinctè, que omnibus delinquentibus imposita; sed arbitraria. [G]

[A] *per l. sacrilegii pœnam. in pr. ibi pro qualitate personæ ff. ad L. Jul. peculatus & de sacril. l. 2. in servorum. 10. ff. de pœn: Farin. consil. 33. incip. in hac causa. n. 16. vers. quia ubi nobiles. & lib. 3. pract. crim. q. 98. n. 116. & seqq.* [B] *per l. sacril. §. 1. ibi: aut si honestiore loco natus ff. ad L. Jul. peculat. l. 2. ff. de termino moto. l. capital. §. fin. ff. de pœn. l. quamvis. C. de adulter.* [C] Johan. Halbritter. *de privileg. Doctor. pag. mihi 8. & 9.* Hinc pœna amputationis manus, & linguæ abscissionis Doctoribus & literatis remitti solet. *Petr. Theodori disp. crim. 10. th. 4. lit. d.* eosque suspendio, tanquam foedissimo pœnæ genere affici nefas esto. *Ernest: Cothmann: volum. 1. Respons. Acad. 50. n. 57.* [D] *Christ. Besold. in dissert. de præm: pœn: & LL. 63. n. 10.* [E] *per l. 3. ff. de veteran. inde fit, ut milites nec torturæ subjiciantur. l. milites. 8. in pr. C. de question. 6.* Quod tamen privilegium cessare in militibus nostri temporis tradit *Farinac. lib. 1. tit. 5. q. 41. n. 31. Et n. 32. dicit, torturam etiam in capitaneo fuisse adhibitam.*

tam. [F] *l. quaedam delicta. ff. de pœnis. l. 2. §. 1. & l. omne delictum. ff. de re militari.* Nam tunc pœna delicto debet correspondere, & gravius puniantur, quia gravius peccarunt. *l. 3. §. 10. is qui ad rostem. ff. de re milit. & l. presbyteri. C. de Episc. & Cler.* [G] *Tiraquell. de Nobilit. c. 20.*

38. Ut autem in his personis dignitas, sic in aliis miserabilibus personis paupertas, & in rusticis simplicitas respicitur. Pauperibus enim mitigatur pœna, quando de solutione pecuniæ agitur, (A) secus si pœna est corporalis. (B) Ita etiam Rustici simpliciores, (C) si delicta non fuerint contra expressam juris divini, gentium, & naturalis prohibitionem, aut omnibus notam juris civilis vel positivi sanctionem, (D) mitius puniuntur; secus si sagaciores fuerint. (E)

[A] *l. illicitas. §. ult. ff. de off. prasid.* [B] *Petr. Theod. disp. crim. 19. th. 4. lit. F. in pr.* [C] *l. si quis. 3. §. 22. ff. ad Sctum Silan. Siquidem simplicitas eos excusat à dolo. l. 7. si quis id. §. doli mali. 4. ff. de jurisdictione. l. 2. §. 1. ubi dicitur; justificati hominis parcendum erit. ff. si quis in jus vocat. non ierit.* [D] *per l. 2. venia. C. de in jus vocand. ubi rusticitas sive imprudentia, ideò veniam non meretur, quia nemo tam rudis esse censetur, ut patronos, horumque liberos honorandos ignoret. Huc faciunt ea, quæ de rustico contra jus naturale possessionem occupante, tradit Jacob. Menoch. de Recuperand. possess. remed. 9. n. 18. & seqq. & quem ibidem citat Tiraquellum de pœn. caus. 11. num. 78. vide sis. Nec rusticitas excusat, si jus positivum vel pœna ejus omnibus nota fuerit. Utpote si quis in terris nonnullorum Principum & Comitum Germaniæ cervum capiens, rusticitatem allegare vellet. Siquidem hoc adeò notum est, ut à nemi-*

mine

mine ignorari possit. *Petr. Wesemb. ad l. 108. ff. de R. I. [E]* quia hi satis astuti sunt, & ut Bald. & Dd. in *l. juris ignorantia. C. qui admitti ad honor. possess. possunt. l. fin. C. de juris & facti ignorant.* dicere solent: Quemadmodum tales rustici vadunt ad nemus pro lignis, eodem etiam modo accedere debent ad Doctorem pro consilio. *Citante Casare Luciano in responso suo apud Farinac. in consil. crim. 30. n. 123.*

39. *Ætas etiam personæ facit, ut pœnæ remittantur, quæ si tenella, & doli nondum capax, planè non punitur: (A) proximus verò pubertati, & doli capax ordinaria quidem plecti potest pœna: (B) at mitiora præferenda, & vitæ amissionem non facilè infligendam putamus. (C) Verum pubes jam factus, & 25. annis minor, si deliquerit, quæritur, an ordinariè, an verò extraordinariè puniendus? Et hoc casu statuimus, si singulares circumstantiæ aliquo qualiter inducent pœnæ mitigationem, ordinariam pœnam vix locum habituram esse (B).*

[A] *l. 23. ff. de furtis. l. 12. ff. ad L. Cornel. de sicar. l. 1. C. de falsa monet. vers. impubes etiam si conscii fuerint. can. illud relatum. 2. & can. illa. 15. q. 1. Hieronym. Cagnol. ad l. ferè in omnibus pœnal. ff. de D. R. I. (B) l. pupillum. iii. ff. de R. I. l. impunitas. C. de pœn. l. impubes. 23. ff. de furtis. Sed hic res in ancipiti est, qui nam infantiæ vel pubertati proximus censerit debeat? Diversæ sunt sententiæ Hostiensis, Cujacii, Eguinarii Baronis, & aliorum: sed nullus eorum*

H rum



rum dicere potest iure quid certum, & expressè definitum esse.
Quare nec per certam juris rationem ex mente legis decidi poterit; sed nostro puncto ex arbitrio iudicis hoc dependere debet. *arg. l. 1. §. final. l. ff. de jure delib. & c. ult. extr. de transact. Menoch. lib. 2. de A. I. Q. cas. 57. n. 44. Philipp. Matt: in comment. ad l. fere in omnib. ff. de D. R. I. (C) l. auxilium. §. in delictis. ff. de minorib & in l. sacrilegii pœnam. in pr. ff. ad L. Jul. peculat: l. 1. §. impubet. ff. de Scto Syllan. l. 108. ff. de R. I. P. S. D. art. 164. von jungen Dieben. Gail. l. 2. obs. 110. n. 32. & seqq. Coler. decis. 162. per tot. (D) arg. l. auxilium. 37. §. in delictis. ff. de minorib. 25. annis. Anton. Tessaure deces. 161. n. 6. & 8. Menoch. de A. J. Q. lib. 2. cent. 3. cas. 329. n. 11. & seqq. qui ibidem hujus sententiæ astipulatores quinque ac triginta Doctores enumerat.*

40 Locus, & tempus pœnas delictorum quandoque augent, vel minuunt. (A) Ita locus, quo est sanctior, eò gravius in eo perpetratur delictum: (B) & in publico loco atrocior committitur injuria, quam privatâ in domo. (C) Consimiliter & tempus, si fuerit nocturnum, delictum magis aggravat, quam si interdiu perpetratum esset; (D) & graviora ducuntur, quæ tempore administrati officii, ac nundinarum, (E) quàm feriato committuntur. [F]

(A) Locus quidem *arg. §. atrox. Instit. de injur. Et tempus, per l. aut facta §. tempus. ff. de pœn. & per l. si diutino. 25. ff. de pœn. quæ lex secundum quorundam intellectum vult, quod ob lapsum longi temporis minuatur pœna. videatur Tessaure. decis. 75. n. 2. & seqq.*
(B) *l. 16. §. Locus. 4. ff. de pœn. (C) l. 7. §. fin. ff. de injur. & l. vulneris. §. ff. eod. l. 9. §. 1. ff. eod. ut & t. t. ff. de fur. balnear. Farinac. q. crim.*

105. *insp. 4. n. 186.* [D] *l. 1. & 2. ff. de fur. bal. l. 54. §. 2. ff. de furt. & que Gothofr. ibi annotavit sub lit. d. P. S. D. art. 167. Prosp. Farin. q. crim. 18. n. 66.* [E] *l. un. C. de wund.* [F] *arg. l. prætor. 7. §. 8. ff. de injur.*

41. De Qualitate, [A] Quantitate [B] & eventu delicti [C] res plana est, quod sæpius delicti pœnas, aut aggravent, aut mitigent. Quare his missis jam in sequentibus thesibus de contrariis pœnarum quasdam ventilandas proponemus controversias.

[A] *l. 16. §. qualitas. ff. de pœn. Auth. peregrini. C. commun. de success.* Nam quia unica circumstantia totum sæpè jus variat, non statim delicto probato, simplex pœna locum habebit; sed pro ratione verificandæ qualitatis, delictum aut augmentis, aut minuentis, aut diversificantis pœna quoque varianda erit. Quandoquidem qualitas facit delicto aliquid inesse præter ejus substantiam. *arg. l. 16. §. qualitate. ff. de pœn. & non sufficit constare de delicto principali, sed etiam qualitas, præsertim si libello inserta, respicitur, & probatur. l. penult. §. docere. ff. ne quis eum, qui in jus vocat. est, vi exim: l. præter. 4. §. 12. ff. de vi bonor. raptor. (B) l. divus. 31. ff. ad L. Corn. de fals. l. aut facta. §. quantitas. ff. de pœn. (C) l. 16. §. eventus. ff. de pœnis. Nam eventus multa, qualia sint, ostendit. l. qui res suas. 98. §. rem autem 3. ff. de solut. & liberat.*

42. A pœnâ capitali ultimi supplicii minimè liberatur reus, si meretrix, virgo, aut puella quædam intercedit, & delinquentem dimittendum, eumque sibi in matrimonium petit.

De consuetudine Gallix & Hispanix hoc observari complures restantur autores, quos longa seriè allegatos vide ap. *Matt. Berlich.*

lich. part. 5. conclus. 45. n. 33. Inter quos etiam habetur *Chasfan. in consuet. Burgund.* cui contradicit *Tiraquell. de poen. causa. 56.* ubi negat istam consuetudinem demittendi facinorosos in Gallia vigere. In foro Saxon: hoc arbitrio Judicis committendum putat *Virgil. Pingizer. in quest. Sax. q. 8.* A quibus omnibus nos secessum facientes thesin nostram corroboramus his fundamentis. (1) Quia nec principi licet poenam in gratiam hominis remittere, si poena praestituta est jure divino. *arg. Levit. 18. v. 29. Deutr. 28. 1. Sam. 15. v. 9.* (2) quia *in l. 8. §. ult. Ad. L. Jul. de vi publ. Judex infamia notatur*, qui violentiae reum impunitate donavit. (3) quia hac ratione matrimonium fieret praesidium iniquitatis, quod tamen res sanctissima esse debet. *in epist. ad Ebr. 13. v. 4.*

43. Nec liberet reum ad poenam mortis damnatum fortuitus ejusmodi casus: si forsan laqueo fracto suspendendus in terram decideret: [A] aut si decollando primo & secundo ictu caput non fuerit amputatum; sed vulnus tantum inflictum, tum iterum iterumque feriat, donec vitam privetur. (B)

[A] Rationes sunt (1) quod sententia condemnatoria suum debeat sortiri effectum *arg. l. 18. C. de poen.* At sententia vult, quod fur sit strangulandus *ex Carol. 5. P. S. D. constit. 157. Das der Dieb mit dem strange vom leben zum tode gebracht werde.* Ergo fur rupto laqueo in terram cadens, non debet liberari, sed ex effectu sententiae denuo suspendi, *arg. l. 7. in fin. ff. de jure patron.* (2) quia Reipubl. interest, ne delicta maneant impunita *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.* Eandem nobiscum inflant tubam Hier: *Setzerus in disp. ad 4. libr. Institut. disput. 28. coronid. 1. Hier. Cagnol. in l. favorabiliores. ff. de R. J. num. II. Limnae. de J. P. l. 4. c. 8. n. 301. Gilhaus. in arb. Jud. crim. t. 2 t. 27. n. 33.* Dissent: *Wesemb. in π. de poen. n. 6. ubi suos laudat astipulatores Luc. de penn. Tiraq. Boss: quibus & suum calculum adjicere videtur Reiner. Bachovius in notis ibid. ad parat. l. d.* [B] per eandem

easdem quas modo protulimus rationes. *Paul. Berens. in dissertat. Acad. disp. 13. th. 1. q. 11. circa fin.* Sed huic thesi coronidis loco subjicimus; quod si laqueus à restione noviter contortus præter omnium spem dissolveretur, & reus sine omni membrorum læsione in terram cadens resurgeret, aut aliud tale quid planè miraculosè contingeret, tunc non abs re esse putamus, si executio parumper suspendatur, & de novo inquiratur quam scrupulosissimè in innocentiam & asserti miraculi causam. *per l. 1. in fin. π. de quæstion. & per ea, quæ exempli loco adfert Webner. in Metamorph. Rerum publ. c. 3. ad fin.*

44. Sed omnium optimè reus à promeritis quorundam delictorum pœnis liberatur vicennali præscriptione. (A) Quo tempore, si illud à die commissi criminis computetur, jam transacto, nec inquisitio per Judicem formari potest. (B) Imo etiam si reus delictum ipsemet fuerit confessus, tamen interveniente vicennali præscriptione impunitate gaudet. (C)

[A] *l. querela. 12. C. ad L. Cornel. de fals. l. in omnibus ff. de divers. & temporal. præscript: cap. cum venerabilis. X. de exceptionibus. Jodoc. Damboud. in prax. rer. crim. c. 8. de inquisitionibus, n. 24. Matth. Wesemb. in Respons. juris. consil. 5. n. 33. [B] Franciscus Balbus de præscriptione partis 4. princip. parte 4. q. 2. n. 2. pag. mibi 248. Prosp: Farin: l. 1. tit. 1. q. crim. 1. n. 68. Damboud. dicto cap. n. 25. Sed hic dubia incidit quæstio, scilicet à quo tempore præscriptio hæc currat, an à die delicti, num verò ex die scientiæ? Nobis hic placet distinct. videlicet quod contingere possit, ut delictum occultum quidem sit, sed ita, ut tamen per diligentem inquisitionem curiæ sive accusatoris detegi possit, & tunc currat præscriptio à die commissi deli-*



delicti: aut delictum adeo occultum est, ut per quamcunque diligenter investigationem de eo nulla possit haberi notitia, & tunc currit præscriptio à die scientiæ. *Prosp: Farinac. l. 1. tit. 1. q. crim. 10. n. 13.* [C] non poterit ex suâ confessione condemnari, quia confitetur id, de quo contra eum non est actio. *l. confessionibus. ff. de interrog. act. Farin: d. l. n. 14.*

45. Hæc tamen vicennalis præscriptio non habet locum in actionibus, ex L. Juliâ de adulteriis, (A) L. Juliâ peculatus, (B) & Scto Silaniano (C) descendantibus, quæ quinquennio tolluntur: aut quæ breviori spacio perimuntur; ut actio injuriarum; quæ exacto anno tollitur, (D) &c:

[A] *l. mariti. 29. §. 6. ff. ad L. Jul. de Adulter. C. eod.* quod tamen quinquennium procedit respectu *adulteri* accusandi; sed respectu *adulteræ* tollitur hoc crimen spacio sex mensium utilium, quorum duo dantur marito, ut accuset jure mariti *l. miles. 11. §. 6. ff. ad L. Jul. de adult. l. jure mariti. 6. C. eod.* & quatuor, ut ipse & quilibet possit accusare jure extranei. *Gothofred. in l. jure mariti. C. ad L. Jul. de Adult. lit. &c.* Hoc autem quinquennium incipit currere non à primâ vice commissi adulterii, sed ab ultimâ. *Gilbauf. in arb. crim. cap. 2. tit. 18. de adult. n. 25.* [B] *l. peculatus crimen. 7. ff. ad L. Jul. peculat. & de sacril.* [C] *l. in cognitione aperti. 13. ff. Sctum Silan.* [D] *l. si non convicii. 5. C. de injuriis.*

46. Nec valet hæc præscriptio 20 annorum in delictis enormibus, & specialiter exceptis: utpote in delicto Apostasiæ, (A) suppositi partus, (B) læsæ majestatis, (C) parricidii, (D) pensati homicidii, & assassinii (E) &c:

(A) *l. si*



[A] l. si quis. 2. & l. apostatarum. 4. C. de Apostat. [B] l. qui falsam monetam. 19 §. 1. ad L. Cornel. de fals. Franciscus Balbus de præscript. quartæ partis princip. 4. parte quest. 2. limit. 6. num. 9. (C) arg. l. fin. vers. semper. ff. de Lege Pompej. de parricid. l. majestatis reo. 6. & l. post divi Marci. 8. C. ad L. Jul. Majest. Farin: lib. 1. q. 10. num. 29. (D) l. fin. ff. ad L. Pomp. de parricid. l. in cognitione. 13 sub fin. ff. ad Scutum Silanian. Matth: Wesemb: comm: ff. eod. Farinac. in sua prax: crim: tit: 14. quest: 120. sect. 5. num. 128. ibi. amplia vigesimo quarto. (E) Anton: Thesaur: decis. 208.

COROLLARIA.

1. An optimus sit Jctus, qui totus in eo est, ut solum causas agere, & lites vafre coordinare possit? Ita putat vulgus, sed vera Jurisprudencia, quæ vera & non fucata vocatur Philosophia, l. 1. §. 1. ff. de just. & jure, versatur magis in Reipubl. administratione, quam in litem coordinatione. Christoph. Besold. dissert: de jure Academ. c. 3. n. 5. pag. mihi 201. Atqui ad prudentem Reipubl. administrationem omnium suffragio necessariò requiritur politices, & œconomix notitia, autorumq; civili doctrinâ refertorum lectio, ac historiarum evolutio. Ad studium historicum autem utiliter instituendum omninò necessaria est, Geographiæ, Chronologiæ & aliquis lingvæ græcæ cognitio. Ergo perfectus Jctus quis esse nequit, absque cognitione harum rerum, & absque notitiâ earum disciplinarum, quæ illis rebus amicabili nexu subalternatæ sunt, etiamsi forensium disceptationum sit callentissimus.
2. An iis, qui ad extremum ducuntur supplicium, vinum vel alius potus inebrians sit porrigendus? Disquirat hoc Piccart. decad. 13. observat: historico-polit. c. 6. Nos hoc cum Jodoco Damboud: cap: 152. de confessione maleficorum. n. 5. omninò improbandum putamus variis de causis; & probationem istam, quæ quodam ex Scripturæ sacre dicto nimirum ult: capit. Prov. vers. 6. communiter adfertur, dicimus esse impertinentissimam.
3. An Apostolus Paulus fustigationis pœnâ malè mulctatus ullâ infamiâ notatus fuerit? N. Per l. ictus fustium. 22. ff. de his quæ notantur infam: & per alias quas in ipso conflictu dabo rationes.
4. An sponsa illa differenda sit nomine præflorata pudicitia in cuius



*jus mammae lac satis copiosè reperitur, & an eà de causâ matrimonii jam
jam contracti solutio urgeri queat? Negam:*

*5. An liceat Medico seu Chirurgo unguento armario sanare vul-
nera? Neg:*



Clarissimo juxta ac Consultissimo Domino,
JOACHIMO Dechern / Cognato suo ex Germanâ sorore suâ filio,
Philosophiæ Magistro & J. U. Candidato de præmiorum
juribus publicè disputanti.

O *Cyus ad patrios vultus contingis anhelans,*
Brandenburgiaci tractus amore soli,
Astræ Themidos, Joachime, decus, nova confers,
Sunt quæcunq; domi commoda, quæq; foro.
In studiis Sopiæ te sedulitate probasti,
Unde tibi doctæ Laurea frontis adest;
Nunc pariter meditare immensa volumina juris,
Ingenii vires prodis & inæ tui,
Ingenii monumenta tui, immortalia quondam
Divino afflatu suppeditata tibi.
Altior insurgis patriæ, Dechere, per oras;
Gloria finito non moriturum die.
Huic agè diva Themis gaudens illustria confer
Premia, cultori premia digna tuo.

*Ex sincero avunculi cordis affectu
gratulabundus Brandeburgi scripsit.*

**VALENTINUS MELASIUS Brandenburgensis Marchi-
cus J. U. D.**

errata,

*in membro .i. de præm: thes. i. lin. ult: pro impetrare legendum imperti-
re. thes. 5. sub lit. (D) circa fin: pro insignia legas insignia. thes. 8. lit. (A)
lin. 1. pro virtuts legas, virtutis. ibidem lin. ultim: pro in camerâ im-
perat: legas imperial: thes. 11. sub lit. (C.) lin. 7. pro vespilliones legas
vespillones. thes. 23. in alterâ facie paginae lin. 28. pro aborta est, le-
gendum. oborta est. thes. 20. lin. 10. pro Ub, isi, legas Ubi, si. Fateor,
benevole Lector, plura occurrunt σφάλματα; sed ea Nobis igno-
fas, & omnia dextrè interpreteris peto. Sæpè quedam in transver-
sum occurrerunt, quò minus accuratæ correctioni vacare po-
tuerimus*



ULB Halle
003 862 046





3

Sb.

WPA







49
DISPUTATIO
tico-Juridica
18 639
1643

MIIS ET

QUÆDAM EXHI-
A XIOSCEPTA,

Quæ
Ter Opt: Max: auxiliante
liss: & Ampliss: Facultatis Juri-

errimâ Academiâ Wittebergensi,
B PATROCINIO
lissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi;

MIÆ REUSNERI,

ris celeberrimi, Facultatis Juri-
enioris meritissimi, Dicasterii & Sca-
tus Assessoris gravissimi,
motoris, & Præceptoris sui, omni
s cultu jugiter prosequendi,
ublicè discutienda offertur

Dechern / Palæo-Bran-
leburg. Marchico.

orum, ad diem Maij, horis consvetis,
Christi, quo dicere fas est,
M est : at VblVIs beLLa strVVntVr. = 1643

WITTEBERGÆ
nnis Röhneri, Acad. Typogr.

